Städtisches

Gymnasium zu Allenstein.

DE PARTICULIS NE .. QUIDEM.

PARTICULA I.

SCRIPSIT

DR. W. GROSSMANN.

Programm-Abhandlung Ostern 1884.

Allenstein.
Druck von A. Harich.
1884.

1884. Progr. No. 1.

s
s
c
s
a
c
h
r
c

s
c
g
a
r
e
v
r
c
c
l
c
g
l
l
c
l
s
a
s

l
c
s
r
c

t

De particulis 'ne . . quidem.'

I.

'Res parvas quidem minutasque et hominibus non bene eruditis aspernabiles, sed ad veterum scripta penitus noscenda et ad scientiam linguae Latinae cumprimis necessarias' particulas esse, Gellius[1]) subtiliter et recte iudicat. Nec vero minus veram magni particularum momenti notionem animo conceptam in praefatione Tursellinus his fere verbis praemittit: 'parva quidem res in speciem et exilis, sed ad usum magna ac plane necessaria. Nisi vero obscurum est, quantum momenti habeant in corpore ad motum usumque membrorum molles ossium commissurae, nervi, ceteraque, quibus artus omnes apti conexique inter sese continentur. Quippe sine his coniunctionibus et quasi vinculis non secus atque humanum corpus sine nervis dissoluta, minimeque inter se apta et cohaerens languet oratio. Itaque non immerito fortasse Caligula ille Caesar hoc nomine Senecam irrisit, quod eius scripta arenam sine calce esse diceret.'

Quare qui accuratam et subtilem litterarum Graecarum et Latinarum aliusve populi tenere scientiam in iisque volutati atque doctissime eruditi esse volunt, qui naturam et indolem linguarnm cognoscere, orationis leges consuetudinemque loquendi, quaeque propria sunt sermonis, statuere student, quin iis particulae, quomodo quandoque ortae, quomodo per quemque amplificatae sint, quando evanuerint, accurate ac subtiliter perscrutandae sint, facile nemo est qui dubitet: ut particularum vitas secuti, natura ac notione huius 'parvae quidem rei in speciem et exilis' explicata, tamquam solidam et expressam gravis earum, quas esse orationis lumina et quodammodo insignia, Cicero[2]) dicit, vitae imaginem exprimere videantur. Quoniamque uniuscuiusque hominis cogitandi vim cognoscimus ex loquendi ratione, cum quomodo animi sensus exprimat, utrumque minoris momenti rebus subordinatis varia una complectatur comprehensione necne, videmus, particulaeque in ea re non parvi sunt momenti, ex particularum cum copia tum usus varietate et festivitatem atque conformationem orationis intellegi et utrum floreant litterae an decrescant atque aucti lapsique sermonis causas perspici, manifestum est. Quae cum ita sint, et ad artem grammaticam et ad lexicographiam minus equidem interesse puto, singula particularum usus genera nos afferre atque explicare, sed per omnia omnium aetatum litterarum monumenta particulas percurrere particularumque vitam ac consuetudinem, ut ita dicam, constituere. Particulis ita cognitis, quomodo a rudibus exiguisque initiis sermo profectus ac magis magisque amplificatus et auctus ad argutos certosque et circumscriptos verborum ambitus aptasque et quasi rotundas verborum constructiones pervenerit, facile perspicuum est. Sed utrum, id si expetimus, nisi, ut Ribbeckius[3]) recte proponere mihi quidem videtur, secundum similes casuum formas sequimur, aliter non consequamur, an particulas secundum notionum affinitatem pertractantes, quae volumus, perficiamus, in id hoc loco nimis diligenter non inquiram equidem, sed tamen, Handii particulas explicandi rationem omittendam esse, sine ulla dubitatione confirmaverim.

Quare quamquam Handius in Tursellino[4]) praeter alias coniunctiones etiam **'ne . . quidem'** particularum usum explicavit continentem, tamen denuo eas explanare multis de causis operae pretium est. Namque ex multis iis, quas Handius attulit, variationibus nisi usus generum seriem nihil cognoscemus: neque enim, quando ortae sint particulae, quandoque ad sermonem amplificandum valere maximique ad componendi rationem esse momenti coeperint, expressam imaginem tenebimus, nec quis maxime eas amplificaverit nec quando institerit amplificatio, quando labatur, quando aboleverit, inde intellegemus.

Ac ne illud quidem praetermittendum est, Handii lectionem, cum nec omnia singulorum scriptorum exempla cognovisse nec omnes auctores perscrutatus esse videatur, in exiguum gyrum compulsam

---

[1]) noct. Att. XI, 3, 2. [2]) Cic. de or. III, 25, 96. [3]) Beiträge z. Lehre v. d. lat. Part., p. 1. [4]) IV p. 60 sqq.

esse. Velut omnium sexto et septimo ab urbe condita saeculo qui fuerunt scriptorum, duobus omissis Caesaris locis unoque Cornelii Nepotis, ex uno Cicerone pauca exempla attulit, ut et eam ipsam aetatem, qua particulae apud Plautum, Terentium, Catonem primo leguntur, et Varronem, Sallustium, Cornificium eosque qui Caesarem continuaverunt, aliosque Ciceronis, quorum si non omnia scripta, at aliqua aut pusillae saltem ad nos pervenerunt reliquiae, aequales, quorum omnium demum scriptura, quanti ad particulas augendas fuerit momenti Cicero, cognosci potest, plane neglexit. Et Augusti quidem aetatis scriptorum Livio tantum et Vergilio occurrimus, quamquam Pompeius Trogus, Verrius Flaccus, Hyginus, Vitruvius Pollio, Antistius Labeo, Porcius Latro, Annaeus Seneca particulis usi ea aetate, quomodo **'ne . . quidem'** usurpetur, dilucide demonstrant. Atque primae imperatorum aetatis scriptorum, quamquam plures sequitur Handius, tamen multos, qui hoc loco qui nominentur, digni sunt, ut Valerium Maximum, Columellam, Q. Asconium Pedianum, Petronium, C. Plinium Secundum, Iulium Frontinum aliosque, qui pauca exempla praebentes non ita dilucide, quomodo ea aetate particulae legantur, nobis ostendunt, praeteriit.

Sed non modo non ad omnes scriptores Handius respicit, sed ne parvulam quidem, quibus, quos attulit, scriptores usi sunt, exemplorum partem contulit, id quod paucis exemplis confirmare mihi liceat. Sicut ex undequadraginta Caesaris et belli Gallici et belli civilis exemplis singula eiusdem generis, singula ex Nepote, Velleio Paterculo, Curtio, Mela, bina ex L. Annaeo Seneca, qui, ni fallor, ducentiens septuagiens quinquiensque posuit particulas **'ne . . quidem'** et ex Tacito, sex **'ac ne . . quidem'** formulam illustrantia ex Celso apud Handium legimus. Itaque sexcenta possum eiusmodi proferre, ut exemplorum numeris quam non absolutus sit Handius, appareat; sed quoniam singula persequi non est necesse, haec hactenus.

Et quoniam Handium plerumque singula particularum usus genera exemplis illustravisse videmus, si maximam particularum variationum partem praetermisit, haud sane mirum id quidem est. Huc accedit, ut multae Handii observationes, quoniam scriptorum lectiones subtilius atque accuratius his temporibus constitutae sunt, sint abiciendae, etiamsi, quin Handius[1]) omnia, quae attulit, exempla ipse in veterum libris inspexerit et perpenderit, dubitari non debet.

Quae cum ita sint, particulae **'quidem'** usus observationes, quas nuper edidimus, continuaturus ac suppleturus, quamquam initio quidem universum particularum **'ne . . quidem'** usum perscrutari institueramus, nunc tamen, quoniam spatium permissum plane non sufficit, paucis verbis de notione et collocatione particularum praemissis, **'ne . . quidem'**, quomodo a septimo urbis saeculo usque ad Hadriani imperatoris aetatem inveniatur, explicabo, locosque nonnullos, qui ad particularum **'ne . . quidem'** usum pertinent, ex uniuscuiusque scriptoris loquendi consuetudine emendare conabor.

de particularum origine et notione.

De particulae **'ne'** etymologia, quoniam a multis iam satis recte perspecta est, et **'ne'** etiam in enuntiatione iudicium de aliqua re continenti a priscis scriptoribus poni, semel atque iterum demonstratum est, de etymologia autem particulae **'quidem'** certi nihil constitutum est, hoc loco plura dicere desistam.

Itaque sive Corssenius **'quidem'** a **'diem'** profectum proprie **'gerade, eben, selbig'**, sive Ribbeckius ex pronominis radice $\sqrt{\mathbf{d}}$ profectum esse, recte intellexerunt, in ea particula inesse quandam vim demonstrativam, qua alia vocabula praemissa premantur, in commentatione nostra[2]) multis exemplis demonstravimus. Quare quae propria subicienda sit particulis **'ne . . quidem'** significatio, non ita difficile est dictu.

Et Handius quidem l. l.[3]) de particularum vi haec fere dicit: **'ne . . quidem'** nos Germani solemus reddere verbis **'nicht einmal'**, quo saepe fit, ut a propria Latinorum vocabulorum significatione aberremus'. Et Wolfii aliorumque praeceptis reiectis significationem particularum hanc esse dicit: **'ne'** negationem exprimit graviori vi: **'quidem'** nomini alicui adiectum indicat, hanc rem efferri atque aliis opponi. Quare haec verba proprie nihil significant quam graviorem negationem ad unam notionem praecipue relatam. Intellegitur enim res, quam non fieri omnes credunt, aut quam fieri omnes mirantur: quam ob rem maius accedere debet negationis pondus. Opponuntur res, quas non esse aut non fieri minus videatur mirum. Ergo si res respicimus, inest in verbis descensus a maiore re ad minorem, sin

[1]) Turs. praef. p. XVI. [2]) de part. quidem p. 23 sqq. [3]) Turs. IV, p. 60.

vero negationem consideramus, adscendit oratio ad maiorem potestatem negandi. Hoc Germani reddunt verbis **'nicht einmal, geschweige, auch nicht einmal'**. Si quid igitur discriminis intercedit, efficitur pronuntiatione, qua negandi vis augetur. Sed primitivam significationem positam esse in illa maiore negationis gravitate, id apparet maxime, ubi **'sed'** aliudve huius generis vocabulum in altera sententiae parte sequitur. Gradatio ergo cernitur in **'non, ne, nec, ne . . quidem.'** Si porro Handius l. l.[1]) dicit **'ne . . quidem'** verti posse **'wenigstens nicht'** vel **'gerade nicht'** aut simpliciter exprimere graviorem negationem ad unam aliquam rem distinctiore vi relatam, ubi Germani dicant **'keineswegs'**, summa eius praeceptorum vera est, etiamsi singula paullo infra aliter interpretabimur.

Et quod Ribbeckius l. l.[2]) formulae **'ne . . quidem'** proprium esse **'ne'** dicit, non plane assentior: nam **'ne'** nihil aliud est, nisi negatio, quam antiquissimis temporibus usitatam fuisse verisimile est, postea autem tantum in fixis quasi formulis, ut **'ne . . quoque . . nedum'** aliisque eius generis particularum compositionibus invenimus. Equidem igitur, **'ne . . quidem'** formulam et tum demum ortam esse, cum particula **'quidem'** a scriptoribus usitata alia vocabula verbum praemissum prementia deiecerit et negationi **'ne'** cum vi restringenti apposita sit, ut ea re etiam id, quod de propria particulae **'quidem'** significatione[3]) diximus, comprobetur. Nec vero praetermittendum est, **'ne . . quidem'** et in antiquissimis et in posterioris aetatis monumentis praecipue pronomina includens legi, ut innumerabilia exempla demonstrant et infra accuratius dicetur.

Quare **'ne . . quidem'** particulis propria vis subicienda est: **'nicht eben, nicht gerade, nicht irgendwie, nicht einst'**, unde ortae sunt significationes nostrae **'selbst nicht, nicht einmal.'** Sed si Handius inesse in verbis, si res respiciamus, descensum a maiore re ad minorem, sin vero negationem consideremus, orationem ad maiorem potestatem negandi ascendere dicit, id quidem in ipsa particulae **'quidem'** natura posita est, quae cum vi restringenti negationes praemissas premit, ut res cum negatione positae minuantur, negatio valde augeatur, id quod tum maxime perspicitur, cum una vel complures negationes, ut infra videbimus, praemittuntur.

Sed singula de particularum **'ne . . quidem'** significatione, ut quidem in fixis quasi formulis videtur, suo loco accuratius dicentur.

de collocatione particularum.

Sed antequam formulae **'ne quidem'** usum, qui quidem varius sit, consideramus, quem locum in verborum serie obtineat, breviter dicamus. **'Ne quidem'** quoniam tum poni, cum negationis vi aucta a re maiore ad minorem descendatur, admodum vidimus, vulgo post negationes praemissas invenitur atque ita, ut inter **'ne . . quidem'** id quodque vocabulum interponatur, quod cum accentu effertur, cum **'quidem'** ad id quodque vocabulum, quod praecipue commemoretur, referatur, cuius praecepti, si quidem tamquam innumerabilia sunt exempla notissimusque est usus, exempla non afferam.

Quodsi vocabula, quae interponuntur, quam longa sint, a quaque littera incipiant, perscrutabimur, plurima tres syllabas amplecti et singulis litteris hac fere ratione distribui videbimus: longe plurima vocabula interposita a littera **'i'** incipiunt, cui litterae proximum est **'s'**, quod quidem, pronominibus omissis, multo plura quam **'i'** aliaeque litterae amplectitur. Neque vero interponuntur raro vocabula ab hisce litteris incipientia: **'a, d, e, f, h, l, m, p, t, v'**; rarius, quae a **'l, n, o, r, u'**, rarissime, quae a **'x, z, q, b, g'** incipiunt, quae res an prorsus fortuita sit, nescio.

Sed haec hactenus; nunc ad illa, quae multo maiora sunt, veniamus et, qua ratione singula verborum genera particulis **'ne . . quidem'** interponantur, videamus. Qua in re auctores, qui ante Ciceronem scripserunt, Plautum dico et Terentium et Varronem, a Cicerone omnibusque, qui qost eum fuerunt, scriptoribus multum differunt: nam primo quidem aspectu, si vocabula particulis inclusa intuebimur, ex Ciceronis aetate substantiva longe primum tenere locum, manifestum est, cum ante Ciceronem pronomina saepius, quam substantiva includantur. Sed secundum substantiva, quae circiter milliens interposita repperimus, pronomina sexcentiens et verba quingentiens quinquagiens, rarius adiectiva (trecentiens quinquagiens), rarissime adverbia (centiens quadragiens) legimus, quem usum apud omnes omnium aetatum scriptores vulgarem esse, dici potest, etiamsi interdum alter alterum verborum genus

[1]) Turs. IV, p. 65, 8. 9. [2]) p. 46. [3]) p. 22.

adamat, sicut Velleius Paterculus verbum, Celsus et Quintilianus pronomina saepius, quam alia vocabula inter **'ne . . quidem'** posuerunt.

Quodsi vocabula, quae cum accentu efferuntur, inter **'ne . . quidem'** interponi, supra dictum est, imprimis a scriptoribus ea vocabula eliguntur, quae facile premantur, quibusque notio subiecta sit significantissima, id quod in pronominibus demonstrativis, quarum propria est vis quaedam premens et distinguens, facile intellegitur.

Quare et Cicero et alii post eum scriptores libenter nomina propria particulis **'ne . . quidem'** interponunt ac paullatim vocabula quaedam fixa ab eadem radice profecta et varia quidem verborum genera praebentia particulis inclusa repetuntur, cuius generis pauca afferre mihi liceat: suspicio (VI)[1] suspicari (XVI), suspiciose (I); luctus (I), lugere (II), luctuosus (I); quaestor (I), quaerere (III), quaestorius (III); gratias (I), gratulari (I), gratuitus (I); iniuriae (V), iustitia (I), iustus (I), iure (I); mors (XIV), mori (VIII); cogitatio (IV), cogitare (XIX); nomen (IV), nominare (IV); spes (X), sperare (III); spiritus (VII), spirare (adspirare) (II); simulatio (I), simulare (III); metus (VI), metuere (I); gemitus (II), ingemiscere (III); domus (VIII), domesticus (III); periculum (V), periculosus (I); nox (IV), nocturnus (IV); sententia (III), sentire (VIII), multaque alia vocabula, quae omnia afferre longum est.

Atque **adiectivorum** aut ea, quae per se cum accentu efferuntur, sicut 'unus, omnis, totus, tantus, tantulus, magnus, parvus, parvulus, multi, improbus, beatus, mediocris, necessarius, notus', aut cum comparativi tum superlativi interponuntur, quorum saepissime hi fere leguntur: maior (V), maximus (IV), extremus (V), summus (III), minimus (XXVIII), primus (III), primores (II); proximus (I), tenuissimus (IV).

Adverbia autem, quae interponuntur, aut ea sunt, quae ab adiectivis aut aliis vocabulis interpositis derivantur, ut 'omnino (VI), iucunde (iucundus I); leviter (levis II), mediocriter (mediocris IV), proxime (proximus I) suspiciose (suspicio, suspicari); aut adverbia temporis ut: 'adhuc, antea, diu, nunc, tum, tunc.'

Ac ne **verba** quidem desunt, quae inter particulas **'ne . . quidem'** interponi soleant; ut: appellare (VIII), aspicere (III), (respicere I), attingere (V), consistere (IV), cupere (IV), dicere (VII), dubitare (IV), esse (XIV), exspectare (IV), intellegere (XIV), movere (VI), optare (V), posse (XIX), postulare (IV), queri (VII), temptare (VIII), vincere (VII), venire (III), videre (V), velle (III). Verborum autem formarum creberrima sunt participia et infinitivi praesentis cum activi tum passivi, etiamsi totidem fere verbi finiti formae numerantur.

Atque de **pronominibus** res similiter atque de particula 'quidem'[2]) se habet: nam particulis **'ne . . quidem'** paene omnia omnium pronominum genera omnesque numeri et casus includuntur, sed ita, ut pronomina demonstrativa, et quidem neutrum genus potissimum praebentia, longe saepissime inveniantur. Sed etiam varia pronomina demonstrativa paullulum inter se differunt ita, ut **'hic'** pronominis formae creberrimae sint, paullo rariores pronominum **'ille'** et **'is'**; aliorum autem secundum illa pronominum demonstrativorum **'ipse'** saepissime, rarius cum **'iste'** tum **'idem'** interponitur, ut, quoniam ex DCL fere pronominum interpositorum exemplis circiter D praebent pronomina demonstrativa particulis **'ne . . quidem'** inclusa, **omnium exemplorum paene pars dimidia et tertia pronomini demonstrativo tribuenda sit.** At multo rarius, quam pronomina demonstrativa, **personalia**, rarissime et disiunctis quidem locis pronomina **possessiva** particulis includuntur, cum pronomina **relativa** et **interrogativa** semper una cum alio verbo interponantur.

Vocabula autem, ad quae **'ne . . quidem'** libenter se applicat, paullo infra, ubi de variis **'ne . . quidem'** formulis plura dicentur, perspicua erunt, hic tamen, quoniam nihil est, quod de rebus scribam singulis, hoc tantum dico, **'ne . . quidem'** in protasi variis locis, primo in apodosi plerumque me invenisse.

Quoniam autem saepe ad notionem intellegendam compluribus verbis opus est, nec mirum nec rarum est, **'ne . . quidem'** apud Ciceronem aliosque scriptores complura vocabula includere, ut duo, et quae in unam notionem coeunt aut ita cohaerent inter se, ut divelli non possint, et quae integra significatione separari possunt, vel tria eius generis vocabula inter **'ne . . quidem'** collocata videamus.

---

[1]) numeri lunulis inclusi, quotiens singula vocabula inter **'ne . . quidem'** interposita inveniantur, significant. [2]) p. 23 sqq.

1) **praepositio cum casu suo:** Cic. Verr. II, 4, 102: ne **ex viro** quidem audire ibd. 5, 26. ne **extra lectum** quidem. de or. II,5: ne **sine omni** quidem sapientia. Bis praepositionem **'ne . . quidem'** particulis postpositum inveni: Cic. Cat. II, 8 non modo Romae, sed **ne** ullo **quidem in** angulo totius Italiae. Clu. 120: sed **ne** pecuniaria **quidem de** re.

2) **duo vocabula in unam notionem coeuntia:** Cic. off. I, 84: ne **re publica** quidem postulante. item 159. Mil. 2: ne **non timere** quidem. p. Marc. 25: ne **gloriae tuae** quidem. Lael. 51: ne **opus sit** quidem. p. Rosc. Am. 78: ne **tam diu** quidem. item de dom. 79. c. pop. gr. eg. 22. off. I, 122.

Itaque quod enuntiationi additum est non raro particulis **'ne . . quidem'** includitur: Cic. p. Quinct. 73: ne **ubi consisteret** quidem. ad fam. III, 8, 2 ne **quid dicatur** quidem intellego. ad Att. IX, 12, 4. Q. fr. III, 1, 21. Tim. VI: ne **quod audiretur** quidem. Vell. Pat. 116, 3: ne **qui intellexit** quidem. Val. VII, 2, Ext. 9: ne **quod sequitur** quidem. item ibd. VIII, 2, 2. Cic. Cat. m. 34. 68. Tusc. III, 19: ne **ut irascatur** quidem. Acad. II, 119: ne **ut dubitem** quidem. item fat. 9. p. Sulla 38: ne **cum appellasset** quidem. Verr. II, 5, 11: ne **si dubitatur** quidem; cuius generis, quamquam praeterea exempla sunt plurima, tamen alia hoc loco praetermittam.

Similiter pronominibus et adverbiis relativis et interrogativis, quae interponuntur, aliud vocabulum additur, ut: Cic. Acad. II, 124: **ne quid maxime quidem** probabile sit occurit. N. D. III, 23: **ne cur aestimantem quidem** esse. p. Quinct. 96: **ne unde arbitratu quidem** suo postularet. Liv. XXVIII, 27,3: **ne quo nomine quidem** appellare debeam.

3) **duo vocabula, quae non inter se cohaerent, interposita leguntur:** Cic. Q. fr. I, 4, 1: quibus ne **id expedire** quidem arbitrabar. Att. XIII, 10, 3: ne **hercule illic** quidem. item ibd. X. 8, 9. Fat. 5. Celsus II, 6: ne **dicam illud** quidem.

Tria vocabula interponuntur, cum praepositio compluribus vocabulis in unam notionem coeuntibus praeponitur: ut Cic. off. I, 28: ne **ad rem publicam** quidem; Nep. Iph. 1: ne **de maioribus natu** quidem, aut, cum id, quod enuntiationi maiori additum est, amplius duo vocabula continet: Cic. p. Caec. 73: ne **cuius rei argueretur** quidem; p. Mur. 36: ne **cum esset factum** quidem. Top. 30: ne **si Latine possit** quidem dici; similiter **'ne . . quidem'** collocatur in Verr. II, 5, 6. Pison. 65. 97. de inv. I, 70. Liv. II, 61, 5. XXXIV, 39, 3. XXXVII, 53, 2. Ann. Sen. Contr. X, 3, 5.

Insolens autem est locus ille de Fin. IV, 27, 76: Ita **ne hoc modo paria quidem** peccata sunt, ut Baiteri lectionem **'ne hoc quidem modo'** illi praeponam, praesertim cum et sic non prave insigniatur **'paria'** et similes formulas, ut **'ne illo quidem modo'** apud Ciceronem inveniantur (vide Fin. II, 37.)

Nec tamen semper duo aut tria vocabula in unam notionem coeuntia inter **'ne'** et **'quidem'** interponuntur, sed etiam saepe imprimis pronomina inter se cohaerentia separantur, ut et **'ne illo ipso quidem'** (Clu. 50. Liv. XLIV, 40, 2) et multo saepius **'ne hunc quidem ipsum'** (Mil. 99) a Cicerone aliisque scriptoribus dicatur.

Separata pronomina leguntur: Cic. de dom. 126. Cato m. 46 Phil. IV, 9. Acad. I, 45. Caes. B. G. VI, 24, 6. VII, 29, 6. Liv. III, 19, 8; **alia vocabula inter se cohaerentia** ut Cic. in Vat. 27: ne **recte** quidem **facere**. vide Cic. Phil. VIII, 20. Fam. VI, 5, 3. XIII, 18, 1. Div. II, 146.

Quod autem Handius non interposito verbo attingere se non posse particulas contendit, ex parte tantum recte observatum est: nam, etiamsi apud omnes, qui pure et emendate scribunt, scriptores mihi ne unum quidem, in quo particulae **'ne . . quidem'** se attingunt, exemplum occurrit, et Flavius Caper in libro de orthographia[1]) recte praecipit: **'ne quidem fieri** potest non dicendum, sed **ne fieri quidem** potest, ut disiunctum sit', tamen posterioris latinitatis auctores, qui vitiosa et corrupta consuetudine Latine scribendi utuntur, particulas nullo interposito vocabulo iuxta ponunt, apud quos nec discrepantia librorum est, nec librarios barbarum suum morem substituisse, ex codicibus demonstrari potest.

---

[1]) Keil, gr. lat. VII, 101.

Quae orthographia mendosa, quae quidem primo in Cai institutionibus[1]) praeter vulgarem illam particularum collocationem mihi occurrit, non ita raro in saeculi tertii p. Chr. n. posteriorumque scriptoribus legitur, ut, qui ita posuit particulas, scriptor tertio minimum saeculo tribuendus sit, quamquam etiam tum collocatio priorum aetatum legibus conveniens invenitur, et Plotius Sacerdos, tertii saeculi grammaticus, in arte grammatica[2]) haec fere dicit: **'ne quidem'** ideo non est posita, quia sic iuncta latina non est. Nam huic coniunctioni aliqua pars orationis interponi debet, ac si dicamus **'ne ego quidem'**: nam **'ne quidem ego'** nusquam lectum est ideoque veluti barbarismus devitatur. Cui igitur ii scriptores, qui illa perversa orthographia usi sunt, noti esse non videntur. Quodsi tamen unum eius vitiosae orthographiae exemplum in Iavoleni Prisci, alterius saeculi iuris consulti, reliquiis invenimus, quin, quoniam Iavolenus Priscus quater inter particulas vocabulum pressum interposuit, per librarium ille locus corruptus sit, equidem non dubito.

Nec minus accurate Handius[3]), ubi duo nomina per copulam iungantur, priori addi particulas dicit, praecipit, praesertim cum, quid Handius, cum ne unum quidem exemplum attulerit, duo nomina intellegi velit, plane cognosci non possit: re autem vera, quod quidem ad nomina appellativa attinet, **'ne . . quidem'**, cum complura nomina ad totum, quod inter particulas est interponendum, pertinent, primum includitur, nominum vero propriorum aut totum aut, ut in particula **'quidem'** fit, nisi praenomen, si appellatur, nihil includitur.

I. **nomina appellativa:** Cic. N. D. III, 93: ne **nationes** quidem et **gentes** ibd. frg. III.: ne **terra** quidem et **aqua** et **aer** et **ignis.**

II. **nomina propria.** a) **totum interponitur:** Cic. Brut. 259: ne a **C. Rusio** quidem. ad Att. IX, 15, 4: ne **Titum Rebilum** quidem.

b) **praenomen interponitur:** Cic. Brut. 269: Ne **T.** quidem **Postumius.**

Ac ne illud quidem hoc loco praetermittendum est, quod Handius plane neglexit, cum **'ne . . quidem'** complurium nominum ad totum pertinentium primum includatur, alia vario modo copulari. Itaque alius alia copulatione utitur, ut mihi quidem hae fere formulae occurrerint: **'ne . . quidem ac (atque); — et (et . . et); — que; — nec; — aut (aut . . aut . . vel); — ve (— ve . . ve); — vel (vel . . vel)** aliaeque et copulativae et disiunctivae copulationes, sicut **ne . . quidem ac — aut; — aut . . — que.**

Sed quoniam, quae admodum enumeravimus, **'ne . . quidem'** continuationes, nec omnes omnibus saeculis nec ab omnibus scriptoribus ponuntur, quattuor ex multis illis formulis praeter ceteras florent eaeque: **'ne . . quidem aut, ne . . quidem nec, ne . . quidem et; ne . . quidem ac (atque)'.** Quarum formularum **'ne . . quidem aut (nec, et)'** omnibus, quas explicavimus, saeculis, **'ne . . quidem ac (atque)'** Ciceronis aetate et primo imperatorum saeculo inveniuntur; omnium autem maxime posita videmus: **'ne . . quidem aut'** et **'ne . . quidem nec'**, ut Draegeri[4]) illud, nec **'ne . . quidem'** continuans nisi ex Livio non laudari, suppleatur. Cicero quidem **'ne . . quidem aut (nec et)'** saepissime, rarius **'ne . . quidem ac (atque)'** posuit, Caesar nisi cum **'ne . . quidem nec'** tum **'ne . . quidem ac'** non usus est, Livius omnes admisit. Sed aliae quando a quoque ponantur formulae, infra videbimus.

de particularum amplificatione.

Quoniamque satis dictum esse arbitror de variis particularum collocationibus, nunc quomodo particularum usus a scriptoribus latinis magis magisque auctus tum paullatim imminuatur, breviter explicabimus.

Atque cum omnium particularum vim ac notionem, quae secundum originem in iis sunt, et temporum decursu et linguae, ut ita dicam, expolitione et populorum ingenii animique cultu mutari et varietate quadam affici, facile nemo sit, qui neget, etiam omnes ii amplificationis **'ne . . quidem'** particularum gradus et quasi progressus, si scriptorum monumenta litteris mandata percurremus, facile cognoscentur.

Ita si **'ne . . quidem'** usus aetatibus distinguitur, mihi quidem quattuor amplificationis gradus videntur fuisse, quorum quidem primus, quo particulae rarissime ponuntur, earumque usus, cum angustis quasi finibus teneatur, omni elegantiae colore caret, constituendus est; cui aetati **Plautum, Terentium,**

---

[1]) rec. Huschkius Lips. 1878. [2]) Keil l. l. VI, 446. [3]) l. l. IV, p. 61. [4]) Hist. Synt. p. 75, 13.

Catonem, Cincium, Alimentum, Q. Caecilium Numidicum, Varronem, Cornificium attribuimus. Sed omnium per omnes linguae Latinae aetates scriptorum **Cicero** potissimum particularum vim ac notionem auxit atque amplificavit, ut ab illo tempore particulae **'ne . . quidem'** et saepissime ponantur et magnam usus varietatem praebeant, quam aetatem praeter Ciceronem, **Caesar**, **Sallustius**, **Nepos** designant. Cum autem postea sermonis urbani, ut quidem a Cicerone novatus et emendatus est, copia non augeatur usitatique sermonis emendandi studium longius non proferatur, sed omnes fere posterioris aetatis scriptores, quoniam integram scribendi rationem ne tenent quidem, nedum amplificent orationis elegantiam, a munditie aevi et Ciceroniani et Augusti desciscunt, verba novandi studia obmutescunt, particularum notiones Ciceronis aetate varie auctae iam non amplificantur, sed ut incorrupta illa sermonis latini integritas non servatur, vernaculaeque linguae peregrina verba admiscendi consuetudo oritur, ita particulae multo rarius ponuntur ac ne varium quidem illius aetatis usum praebent, sed summum in fixis dicendi formulis sine tenuissimis illis, quae apud Ciceronem admiramur, significationum discriminibus, cum, paucis, qui puro et candido dicendi generi frustra student, exceptis, tandem a multis scriptoribus ne semel quidem usurpentur. Et id quidem de re universa; de singulis infra accuratius dicetur.

'ne..quidem' prosae proprium est.

Sed antequam particularum historiam explicamus, paucis hoc loco attingere nobis liceat, **'ne . . quidem'** prosae orationes particulas esse: nam poetae quidem, quin metri necessitate **'ne . . quidem'** ponere prohibeantur, equidem non dubito, quod vulgo **'nec'** pro **'ne . . quidem'** ponentes, **'ne . . quidem'** nusquam fere utuntur. Quare iam hoc loco, in oratione carmine ac numero astricta et quomodo et a quibus **'ne . . quidem'** usurpatum sit, breviter exponere, non absurdum mihi videtur esse. Si Handius[1]) rara apud poetas reperiri exempla dicit et tria quidem affert (Verg. Ge. I, 126. III, 561 Lucan. X, 66), id quidem non satis diligenter perscripsit, cum Plauto et Terentio, quos, quoniam ad particulas amplificandas non minimum valuerunt, una cum prosae orationis scriptoribus percurrere mihi liceat, in poetis praetermissis, complures aliorum locos omiserit.

Ita in appendice sententiarum[2]) (vv 58 et 246) **'ne . . quidem'** legitur; quod quidem, quis posuerit, nescimus. Et Vergilii editiones[3]) praeter duos illos locos ab Handio allatos tertio quodam loco et quidem Ge. I, 390 **'ne . . quidem'** praebent; item in Ovidii[4]) Heroidum l. IV, 121: **'at ne nupta quidem'** legimus. Sed ex posterioris aetatis poetis **'ne . . quidem'** usurpant M. Porcius Latro[5]), M. Annaeus Lucanus[6]), Silius Italicus[7]) (Pun. XII, 23). Omnium autem aliorum et ante et post Ciceronem poetarum carmina **'ne . . quidem'** non praebent, ut mea quidem sententia, **'ne . . quidem' particulas** esse **orationis solutae proprias,** manifestum sit, praesertim cum omnibus fere, quos attulimus, locis codices antiqui inter se discrepent.

Quae res cum tot tam claris argumentis luceat, neque opus sit disputatione, tamen ne illud quidem, quod rei argumento sit, hoc loco praetermittamus, neminem scriptorem, cuius et solutae et numeris adstrictae orationis monumenta ad nos pervenerunt, quamvis in prosa oratione **'ne . . quidem'** adamet, in versibus particulis locum dedisse, sicut Ciceronem vel L. Annaeum Senecam, qui in vincta oratione particulas ne semel quidem collocaverunt.

Quodsi orationis solutae monumenta ab antiquissimis temporibus percurremus, particulas **'ne . . quidem'** tum demum compositas esse videbimus, cum iam pridem **'quidem'**, ut et poesis[8]) et prosae[9]) reliquiae demonstrant, et a Cn. Naevio atque Ennio et a Catone semel atque iterum usurpatum est: nam nec poesis nec prosae orationis reliquiae, **'ne . . quidem'** ante Plautum et Terentium usurpatum fuisse, ostendunt praeter duos locos **Catonianos**[10]), quae exempla, cum pauca sint, nos et naturam et significationem particularum **'ne . . quidem'** non ita docent. Sed id quidem ipsum etiam Gellii[11]) praeceptum congruit: 'ne id quoque' dixit (M. Manlius Capitolinus) pro 'ne id quidem' infrequens nunc in loquendo, sed in libris veterum creberrimum, ut, cum **'ne . . quoque'** formulae in antiquissimis monumentis ea negandi potestas subiecta fuerit, **'ne . . quidem'** aliquanto post in eius locum, ut ita dicam, successerit. **Cato.**

[1]) l. l. IV, 61. [2]) Ribbeckius scaen. Rom. 58. [3]) Ribbeckii et Ladewigii. [4]) rec. Riesius. [5]) Sueton. rec. Rothius p. 292. [6]) rec. Weber. [7]) ed. Bipont. [8]) Ribbeckius scaen. Rom. poes. frgm. [9]) Peter, hist. rom. rell. I, 1870. [10]) rec. Jordanus. [11]) noct. Att. VII, 2, 18.

Plautus. Itaque, ut veniamus in medias res, **Plauti**[1]) codices quattuordecim locis **'ne quidem'** praebent. Atque summatim exempla, quae inveniuntur, apud Plautum particularum usum nondum amplificatum, sed attenuatum esse demonstrant, etiamsi nonnulla et in protasi et in apodosi usus genera, quae apud Ciceronem legimus, iam a Plauto ponuntur, ut formulae: **'ne . . quidem nec, ut ne . . quidem, quom —, ne . . quidem, si (si non) —, ne . . quidem, ne . . quidem, nisi'**, cum aliis locis **'ne . . quidem'** in initio orationis positum orationem continuet aut interrogatione facta et cum particulis affirmitivis ut **'hercle, edepol'** coniunctum et sine iis responsum afferat, aliis attenuate **'auch nicht, nicht einmal'** significans et pronomina potissimum includens inveniatur. De collocatione autem Plautus ius suum poetae tenuit et dixit audacius: nam tria inter **'ne . . quidem'** vocabula, quamvis non cohaereant inter se, tamen versus causa interposuit, ut Mil. gl. I, 1, 31: Ne **hercle operae pretium** quidemst. Truc. II, 6, 62: Ne **mihi (mi) unum verbum** quidem — dixit.

P. Terentius. Et **P. Terentius**[2]) particulis duodeciens usus et eadem, quae apud Plautum invenimus, ut: **'ut ne . . quidem, si —, ne quidem, ne . . quidem 'auch nicht' significans** et in initio et in media oratione positum et alia aetatis Ciceronianae usus genera collocavit, ut: **'ne nunc quidem'** — quae quidem formula tum orta ab omnibus omnium aetatum scriptoribus adamata ponitur — **'an ne . . quidem, quia ne . . quidem'** et, id quod magni momenti est, ex duodecim exemplis sex **'ne . . quidem'** in initio sententiae posita praebet, ut, quoniam tam creber est eius generis usus, in Andria 614 pro **'nec me quidem'** rectius **'ne me quidem'** mihi quidem videatur legi, praesertim cum etiam significatio, quae huic loco subicienda est, in particulis **'ne . . quidem'** accuratius insit, quam in **'nec . . quidem'**: 'ich weiss nicht wie mir helfen? Davus: So auch ich!' quamquam omnes codices **'nec'** habent, et Umphenbachius **'nec'** recepit.

Praeterea autem in commemorandis particularum coniunctionibus **'eho —, heus ne . . quidem'**, dicendum est, Terentium in omnibus, quae apud eum invenimus, exemplis multo propius, quam Plautum, accedere ad sermonem Ciceronianum, id quod verum esse in responsis afferendis maxime est perspicuum. Ter. Eun. 322: Quid? virgo cuiast? Ch. Nescio hercle. Pa. Undest? Ch. Tantundem. Pa. Ubi habitat? Ch. **Ne id quidem.** — Cic. Fin. II, 102: An eiusmodi? **Ne id quidem.**

L. Cincius Alimentus. Q. Caecilius Metellus. Sed post Plautum et Terentium per magnum temporis spatium, singulis **L. Cincii Alimenti**[3]) et **Q. Caecilii Metelli Numidici**[4]) locis omissis, apud neminem aut poetarum aut scriptorum **'ne . . quidem'** legimus, ut, quoniam prima particularum amplificationis aetate poetae **'ne . . quidem'** usi sunt, si particularum vis ac notio, praesertim cum vinctae orationi propter collocationem suam propriam formulam non fuisse gratam, manifestum sit, non ita aucta est, mirum non sit.

Aetas Ciceronis. Varro. Itaque ad Ciceronis aetatem venimus, qua particulae in omnes partes amplificantur et magnam usus generum varietatem praebent. Ac primus eius aetatis scriptor **M. Terentius Varro**[5]), cuius scriptura ad pristinam aetatem se applicat, non saepe particulas scripsit ille quidem, sed tamen novas quasdam particularum, quas ante eum notas fuisse, non verisimile est, compositiones sermoni latino addidit: nam ex quattuor quidem, quae mihi apud eum occurrerunt, exemplis suum quodque usus genus demonstrat. Similiter enim atque apud Plautum et Terentium particulae apud eum **'auch nicht'**, significantes enuntiationem incipiunt, cum et **'non modo, sed ne . . quidem, non solum non, sed ne . . quidem'** in gradatione et **'ne dum . . quidem'** ante Varronem non inveniantur, post eum a Cicerone amplificatae usque ad Livium vigeant, tum evanescant.

Sed nullum est discrimen inter Varronis de lingua latina et de re rustica libros, cum Varro in libris et de r. r. et de l. l. binis locis, quorum sua cuique notio subiecta est, **'ne . . quidem'** usus sit, si quidem hoc loco a Varrone (r. r. I, 2, 11), quamquam in utraque disiunctionis parte verbum legitur, alterum **'non'** prioris membri omissum esse, cum de l. l. IX, 36, 51 vulgare praeceptum sequatur, praetermittimus; alio loco (de r. r. I, 47) pro hac gradationis formula **'non modo non, sed etiam non'** invenitur.

---

1) Asinaria, Curculio, Epidicus, Truculentus rec. Loewius-Goetzius-Schoellius. Captivi, Bacchides, Mostellaria, Mil. gl., Pseudulus, Trinummus rec. Ritschelius. Poenulus rec. Pareus. Rudens rec. Fleckeisenus. 2) rec. Umphenbachius. 3) Macrob. sat. I, 2 (sed ne . . quidem). 4) Gell. noct. att. VII, 11, 3 (cum . . tum ne . . quidem). 5) Varro de l. l. rec. Od. Mueller; de r. r. I. G. Schneider 1828.

Sed priusquam ipsius Ciceronis opera et summam particularum **'ne . . quidem'** amplificationem per eum effectam contemplamur, reliqua prosae orationis scripta, quae ex sexto et septimo saeculo supersunt, perscrutemur.

Historicorum fragmenta.

Atque **historicorum** fragmenta[1]), ut quidem ex Peteri verborum indice perspicitur, ne unum quidem particularum **'ne . . quidem'** exemplum praebent.

Cornificius.

Sed et multo saepius et multo magis varius, quam adhuc videtur, particularum usus est apud **Cornificium**[2]), rhetoricorum ad Herennium auctorem, qui non modo plura, quam qui ante eum scripserunt auctores, exempla, sed etiam plures usus variationes praebet: nam apud eum septem variationes leguntur, quae ante id tempus non inveniuntur illae quidem, sed Ciceronis aetate usu recepta usitatissima sunt. Itaque apud Cornificium novicias has fere formulas legimus: **'ne . . quidem aut, ne . . quidem . . sed, praeterea ne . . quidem, At ne . . quidem, qui ne . . quidem, propterea quod ne . . quidem, quoniam ne . . quidem'.** Sed tamen Cornificium, si subtilius intuebimur, particularum in verborum continuatione et ambitu usum, cui Cicero maxime studuit, neglexisse videbimus.

Sed ut uno quasi aspectu, quomodo illa ante Ciceronem aetate **'ne . . quidem'** ponatur, perspici possit, in appendice tabulam (I.) constituere mihi liceat.

Atque ut eo planius, quomodo **Cicero 'ne . . quidem'** amplificaverit quantique ad aequalium scribendi rationem momenti fuerit, intellegamus, eorum, qui iisdem fere temporibus scripserunt, particularum usum praecipiamus.

Caesar.

Itaque particularum usus species apud **Caesarem**[3]) non ita magno temporis spatio intermisso plane mutata, quam valde, cum usu recipiantur particulae, amplificentur, demonstrat: in VII enim de b. g. libris triciens et semel, octiens in libris de b. c. **'ne . . quidem'** legimus; qui particularum usus, si cum sexti et septimi saeculi usu comparabitur, quin admirabilis quaedam facta sit ad omnem particularum usus generum varietatem et copiam progressio, plane non dubium id quidem est.

Sed primo quidem aspectu, magnum esse inter libros de b. g. et de b. c. discrimen, videmus: nam ut maiore exemplorum numero, ita magis vario magisque multiplici usu libros de b. g. ornatos esse, quam de b. c. commentarios, manifestum est, quoniam quidem ex XIX in libris de b. g. variationibus X inveniuntur, quae, Cicerone excepto, ante Caesarem, nondum notae fuerint, una in libris de b. c. Quodsi qui sit in Caesaris commentariis particularum usus, inquiremus eumque cum priore aetate comparabimus, etiam Caesarem illorum more particulas in coordinatione potissimum posuisse idque enuntiationum genus nonnullis formis auxisse videbimus. Sic apud Caesarem praeter eas, quae iam prius[4]) leguntur, invenimus et coordinationis copulativae formulas: **'ac ne . . quidem'**[5]) — quae formula, ter a Caesare posita, Handium[6]) in media oratione ad adiciendam sententiam **'ac'** uno tantum loco collocatum se invenisse, dicentem accurate non observasse demonstrat — **ne . . quidem atque (ac)**[7]), adversativae formula: **'Sed ne . . quidem'**[8]). Sed multo rarius, quam in coordinatione, Caesar in subordinatione **'ne . . quidem'** posuit: nam, quamquam particulae et in protasi et in apodosi leguntur, tamen duae tantum, formulae noviciae in protasi reperiuntur eaeque **'neu ne . . quidem'**[9]) et **'ubi ne . . quidem'**[10]). Atque gradationis formulas **'non modo (non, nemo) . . sed ne . . quidem'**[11]) in libris de b. g. IV, ne unam quidem in libris de b. c. legimus.

Sed quoniam omnes, quas Caesar posuit, variationes iam apud Ciceronem legi, paullo infra videbimus, ad Caesaris scriptionem sermonem Ciceronis maximi fuisse momenti, manifestum est.

A. Hirtius.

Similiter **A. Hirtius**[3]) in VIII. de b. g. libro quater particulas usus nisi **'ne . . quidem' ('auch nicht')**[12]) transitum efficiens **'non modo . . sed ne . . quidem'** (v.)[13]), **'ne . . quidem . . tamen**[14]), **etsi ne . . quidem'**[14]) nihil praebet.

Auctor belli Alexandrini.

Nec vero auctores aut **b. Alex.**[3]) qui nisi **'nullum non solum** (v.)[15]), **sed ne . . quidem'**[16]), quae formula a Caesare, qui **'modo'** tantum in ea sententia collocat, usu aberrat, **'ne . . quidem'** non posuit,

[1]) H. Peter hist. Rom. rell. Lips. 1870. [2]) rec. Halmius. [3]) rec. Nipperdeius. [4]) Tab. I. A, I, a, 1. b, 1 2. B (a), I. II. B (b) β. γ, 1. [5]) b. g. III, 6, 2. VI, 36, 1. VII, 8, 3. [6]) l. l. IV, 68. [7]) b. g. I, 39, 1; III, 19, 3 etc. [8]) b. g. VI, 28, 4. [9]) b. g. VII, 47, 5. [10]) b. g. I, 50, 2. [11]) b. g. III, 4, 4; II, 17, 4; I, 16, 2; V, 43, 4. [12]) b. g. VIII, praef. 8. [13]) b. g. VIII, 33, 1. [14]) b. g. VIII, 38, 4. [15]) (v.) lunulis inclusum, ubi praedicatum positum sit, indicat. [16]) 8, 3.

Auctor belli Afr. aut **b. Afr. semel 'ne . . quidem'** negationem praemissam intendenti[1]) usus, non ita valde particularum vim ac notionem augent.

Ac ne **Cornelius** quidem **Nepos**[2]), qui particulis **deciens** usus quamquam novas quasdam coordinationis formulas praebet, tamen alias locutiones atque Cicero non habet, particularum usus fines protulit, ut, ipsum Ciceronis imitatorem eum fuisse, facile cognoscamus.

Sed ex omnibus eius aetatis scriptoribus uni Nepoti coordinationis causalis formula **'nam ne . . quidem'**[3]) peculiaris, cum Cicerone **'quare ne . . quidem'**[4]) commune est; subordinationis formas nisi **'ut ne . . quidem**[5]), **qui ne . . quidem'**[6]) nullas habet. Nec praetermittendum est, Nepotem in gradationis formulis **'non modo non (nullus, nemo) . . sed ne . . quidem'**[7]) et **non solum . . sed ne . . quidem'**[8]) semper, utrique disiunctionis membro, sive alterum **'non'** appositum est sive deest, suum verbum addere.

Sallustius. Ac **Sallustius** quidem **Crispus**[9]) particulas noviens in simplici verborum contextu posuit: nam omnes variationes, quas apud eum legimus, **'qui ne . . quidem'**[10]) excepto, coordinationis sunt, ac praeter **'— que ne . . quidem'**[11]) iam prius inveniuntur, ut: **'Ne . . quidem enuntiationem incipiens**[12]), **— non modo . . sed . . quidem**[13]), **Sed**[14]) **(sed)**[15]) **ne . . quidem, ne nunc quidem**[10]).

Cicero. Quae cum ita sint, quoniam particulae ante Ciceronem et raro inveniuntur et, cum in compositione particularum usus varietate quadam careat neque plenus sit, angustis circumscribuntur finibus et ad simplicissimas negationis formulas recidunt, apud Ciceronem et alios eius aetatis scriptores expolitiores sunt et magna varietate abundant, quomodo particularum usus ad tantam varietatem processerit, aut quando aut a quo adeo amplificatus sit, illud hoc loco fortasse quaerendum sit. Namque Caesar, apud quem plenior quidem particulis subiecta est vis ac notio, quamvis incorrupta sermonis urbani integritate scripserit, et Nepos, qui ipse magis varium, quam qui ante Ciceronem fuit, particularum usum praebet, tamen et exemplorum numero et elegantia dicendi a Cicerone superantur, praesertim cum omnes fere illae usus variationes paullo prius a Cicerone constitutae sint.

Quod quidem quale sit, facile responderi potest, si ab exiguis usus initiis proficiscentes quam novum, ut ita dicam, particulis habitum cultumque paullatim **Cicero** induxerit, quamque apte et eleganter in verborum constructione eas posuerit, perscrutabimur. Itaque cum haec, quae disputavimus, de particula **'quidem'** in commentatione nostra[16]) satis demonstrasse nobis videmur, hic praeceptum praecipiamus, **particularum 'ne . . quidem' usus amplificationem artissime cum particula 'quidem' coniunctam esse:** nam ut particulae **'quidem'** item **'ne . . quidem'** contra pristinam aetatem a Cicerone et exemplorum numerus auctus et usus variatus et distinctus est, ut **'ne . . quidem'** admirabili quadam varietate orationem Ciceronis ornet.

Quodsi primum ex locorum numeris particularum et incrementum et amplificationem explicamus, apud Ciceronem, numeris aequalibus positis, res sic fere se habet[17]): **'ne . . quidem'** legitur in

Or.	1430	paginis	450	locis,	**semel**	in	IV.	quaque	pagina;
Dial.	940	„	420	„	„	„	III.	„	„
Rhet.	420	„	100	„	„	„	V.	„	„
Ep. ad Att.	380	„	120	„	„	„	IV.	„	„
„ „ Fam.	250	„	80	„	„	„	IV.	„	„
„ „ Q. fr.	50	„	20	„	„	„	III.	„	„
	3470	„	1190	„	„	„	III.	„	„

in Ep. ad M. Brutum	Ciceroni subditiciis	in	27	paginis	11	locis	**semel**	in	IV.	quaque	pagina;
„ „ „ Octavianum	„ „	„	3	„	2	„	„	„	II.	„	„
			30	„	13	„	„	„	III.	„	„

qua ex ratione **'ne . . quidem'** saepissime in dialogis et in epistulis ad Q. fratrem, rarissime in libris rhetoricis, aequabiliter in orationibus et in epistulis et ad Atticum et ad familiares, ne semel quidem in poesis reliquiis inveniri intellegitur.

---
1) 26, 4. 2) rec. C. Halmius. 3) Paus. 4, 3. 4) Phoc. 4, 2. 5) Ep. 3, 1. Att. 16, 2. 6) Att. 6, 4. 7) Tim. 1, 4. 3, 6. Phoc. 2. 5. 8) Iph. 1, 1. 9) rec. R. Dietsch. Lips. 1859; H. Jordan.2) Berol. 1876. 10) Iug. 31, 3. 11) H. I, 41, 11. 12) H. III, 25, 2. 13) H. inc. 60. 14) J. 51, 3. 57, 6. 15) H. I, 48, 12. 16) p. 21. 17) Orellii-Baiteri-Halmii editio rationi subicitur.

Sed ex ea tantum numerorum ratione et particularum vim atque usum definire et particulas certo cuidam sermonis generi attribuere cum difficilius sit, hoc loco variorum quoque usus generum rationem habeamus, quoniam tum demum, inter singula Ciceronis scripta discrimen quoddam statui posse, particulasque in diversis scriptorum generibus diverse et varie poni, videbimus.

Itaque exempla in

Or.	450	praebent	107	variationes,	singulas	V.	quodque	exemplum;
Dial.	420	„	113	„	„	V.	„	„
Rhet.	100	„	52	„	„	III.	„	„
Ep. ad Att.	120	„	67	„	„	III.	„	„
„ „ Fam.	80	„	40	„	„	III.	„	„
„ „ Q. fr.	20	„	8	„	„	IV.	„	„

inde, plurimas usus variationes numero in dialogis et in orationibus, ratione in epistulis et in libris rhetoricis legi, sequitur.

Sed cum Cicero omnes fere variationes, quas universas circiter CC invenimus, in dialogis et in orationibus et in comprehensionibus quidem maxime variis posuerit, **'ne . . quidem' ad explicantem maxime sermonem se applicare,** inde effici, equidem existimo.

Quae res ut apertior sit et quomodo **'ne . . quidem'** a Cicerone amplificatum sit, planius cognoscatur, omnia, in quibus apud Ciceronem **'ne . . quidem'** legitur, enuntiationum genera in II. appendicis tabula afferre nobis liceat.

Quoniam igitur, quam varie quamque saepe Cicero particulis in verborum comprehensione utatur ac quomodo is omnibus, quae nobis praebet sermo latinus, enuntiationum generibus attribuerit, appendicis tabula II. docet, iam illud non longam desiderat orationem, quam ob rem **Ciceronem particularum 'ne . . quidem' tamquam novatorem fuisse,** existimem: nam quoniam in omnibus, in quibuscumque negatio opus est, enuntiationibus **'ne . . quidem'** Cicero posuit, particularum usus ab eo novatur, si quidem novatur usus, qui ab eo, qui dicit, ipso gignitur ac fit, ut **'non'** et **'nec'** usus in Cicerone non ita late, quam et ante et post eum latere mihi quidem videatur. Sed haec alias pluribus, nunc ad institutam disputationem revertamur; haec tamen hic dicere mihi liceat, particulae **'nec',** cum **'ne . . quidem'** usus magis magisque angustis teneri coeptus sit finibus, cumque et exempla rariora sint et varietate usus careat, vim paullatim augeri, ut **'ne . . quidem'** in plurimis quarti saeculi scriptis consenescat ac plane evanescat, **'nec'** percrebescat ac brevi tempore intermisso pro **'ne . . quidem'** substituatur, id quod similiter de poetis supra dictum est.

Sed haec quidem hactenus; nunc quoniam Ciceronem **'ne . . quidem'** summum fuisse amplificatorum vidimus, quomodo particularum usus, cum non subito et ortum et amplificatum eum esse, manifestum sit, in Ciceronis scriptis paullatim auctus sit, perscrutemur. Atque, ut id verum esse intellegamus, Ciceronis opera, ut temporum ratio postulat, nos intueri variaque eius scriptorum genera inter se comparare necesse est. Quodsi igitur a Ciceronis scripturae initiis, quae quidem II de inventione libros orationemque pro Quinctio habitam amplecti, putare nobis liceat, ordiemur, Ciceronem **'ne . . quidem'** in iis haud raro posuisse illum quidem, sed non multo tamen aliter atque ii, qui ante eum particulas collocarunt, scriptores videbimus: nam XVIII quidem in oratione pro Quinctio exempla, nisi aliquot gradationis formulas[1]) et magis varium contractionis usum, ut **'ne ut — ubi — unde — quidem',** nobis novas locutiones non praebent.

Sed iam in proximis, quae ei succedunt, orationibus res plane aliter se habet: VI enim in oratione p. Roscio Am. novae variationes, cum praeter **'quippe qui ne . . quidem'** gradationis formulae sint[2]), coordinationem augent; itemque VII divinationis novae variationes cum **subordinationem**[3]) tum **coordinationem copulativam**[4]) amplificant, orationes autem p. Roscio com. et pro Tullio nullius sunt ad particulas amplificandas momenti. At multum valent Verrinae, quibus in orationibus particu-

[1]) tab. II, A. I, c, 17. 18. 36. [2]) tab. II. A. 1, c, 8. 12. 13. 22. 24. [3]) B (a). III, d, 1. 4. [4]) A. I, a, 4; b. 6; c, 9. 24. d, 4. C. I, 1 b.

larum usus XX amplificatur variationibus, quae praeter **'ne tum quidem'** genera et **coordinationis** cum **causalis**[1]) tum **copulativae**[2]) et **subordinationis** enuntiationes et **adiectivas**[2]) et **adverbialium temporales**[4]) et **causales**[5]) et **concessivas**[6]) et **conditionales**[7]) et **interrogativas**[8]) augent et formulas **'ne quidem' adverbiis appositi**[9]) addunt; or. p. Fonteio habita novam variationem praebet unam[10]). Nec vero minus **'ne . . quidem'** usus augetur cum in **subordinatione**[11]) tum in **coordinatione** et **copulativa**[12]) et **adversativa**[13]) et **disiunctiva**[14]) VIII in oratione pro Caecina et IV Cluentianae formulis. Et in oratione de lege agr. I. novicias formulas II[15]), I in Catilinariis[16]) legimus.

Sed ab a. DCXCI — DCXCVII in paucis ad Atticum epistulis paucae, quae adhuc non fuerunt, variationes inveniuntur[17]). At maiore in usus varietate versatur **'ne . . quidem'** ab oratione de domo, quoniam quidem et in illa et in iis, quae sequuntur, orationibus, multas locutiones novas legimus, quarum V orationis de domo[18]), II Sestianae[19]), Pisonianae III[20]), Plancianae IV[21]), V Milonianae[22]) propriae sunt, quibusque variorum coordinationis et subordinationis generum fines proferuntur.

Omnium autem, in quibus **'ne . . quidem'** usurpatur, generum maxime illud **gradationis** tantae varietatis est, ut nobis circiter L formulae non semel illae quidem, sed saepe occurrerint, quae res, praesertim cum eius modi formulas ante Ciceronem bis tantum a Varrone positas esse, supra viderimus, **Ciceronem 'ne . . quidem'** paullatim ad hanc varietatem profecisse, maximum est argumentum. Itaque alia quoque, quae Ciceronem suum secutum esse ingenium et morem nec ad aliorum exempla se composuisse, sed in omnibus novum fuisse ostendunt, afferre equidem possum, sed, quoniam particularum usus infra accuratius pertractabitur, hoc loco omittam, ut ad libros de inventione revertamur. Quibus in libris, qui quando scripti sint, non satis constat, Cicero circiter VIII[23]), quae ante id tempus non leguntur, locutiones invenimus, inde item, particularum usum a Cicerone et paullatim quidem amplificatum esse, efficitur.

Sed alia Ciceronis praeter haec, quae modo explicavimus, scripta et rhetorica et dialogi, quorum aetas in ea incidit tempora, cum particularum usus ab eo iam amplificatus ad magnam varietatem pervenit, ad cognoscendam particularum amplificationem minoris sunt momenti.

Et epistulae, quoniam usque ad a. DCXCII. — quo tempore usus maxime crevit — non ita multas habemus, quoniamque in iis, quae ad nos pervenerunt, **'ne . . quidem'** semel invenitur, parvi sunt discriminis; sed plura de epistulis paullo infra.

Nec minus ex III de oratore libris, qui eodem, quo oratio Pisoniana habita est, anno scripti sunt, quomodo **'ne . . quidem'** vis paullatim augeatur, dilucide intellegitur: nam de XXXVIII, quae in his libris invenimus, exemplis, quamquam plurima in tempora usque ad a. DCXCVIII recidunt, tamen circiter VI novae variationes accedunt, quarum III **gradationis** sunt exempla[24]), III in **enuntiationibus** et **causalibus**[25]) et **concessivis**[26]) inveniuntur.

Quodsi omnia Ciceronis opera, ut accurate, quando singulae formulae ortae sint, definiamus, inter se comparabimus, plerumque singulis singulas variationes annis tribuere possumus. Namque **'quamquam ne . . quidem'**, quam formulam primo in libris de oratore inveniri vidimus, proximo anno in Planciana atque Fam. I, 9, quae epistula a. quoque DCC. scripta est, legimus. Itemque a. DCCVIII. et in or. p. Lig. et in eiusdem anni epistula ad Fam. IV, 13 **'non modo nullum (v.) . . sed ne . . quidem'** invenitur; **'etsi ne . . quidem'**, quae formula a. DCCIX. in ep. ad Fam. IX, 8 et ad Att. XII, 16 primo legitur, DCCX. in Phil. XI, 11 repetitur. Possum multa in hanc rem ex Ciceronis scriptis exempla afferre, sed ne nimius in hoc genere videar veritus, non obtundam diutius.

Nec aliter atque in libris de oratore res in VI de R. P. libris se habet, quibus in libris Cicero XXII exemplis novas variationes III[27]), quae usque ad a. DCC. non inveniuntur, praebet. Sed proxi-

1) A. IV, b, 3. 4. 2) A. I, a, 3. 7. 9; b, 2; c, 22 (ter). 23. 24 (bis). 28. 3) B (a). II, 3 a. 4) B (a). III, b, 1. B (b), α, 2. 5) B (a). III, c, 4. 6) B (a). III, e, 3; B (b) δ, 6. 7) B (b) II, γ, 1. 9. 8) B (a). III, g, 2. 9) C. I, 5 a. II, a, 1. 3. 10) A. I, c, 21. 11) B (b) II, γ, 8 d. B (a) III, f, 2. 12) A. I, c, 11. 12. 22. 23; d, 9. 13) A. III, 4. 5. 7 a. 14) A. III, 3. 4: 15) A. I. c, 10. d, 1. 16) A. I, c, 22. 17) A. I, c. 15. B (b) III, δ, 2. C. II, b, 1. 18) A. I, c. 2. d, 10. II, 7 b. B (b) I, 2. C. I, 3. 19) A. II, 6. B (b). β, 3 b. 20) A. I, c, 6. 25. 33. 21) A. I, c, 4. 7. III, 2. B (a), e, 1. 22) A. I, c, 34. IV, b, 5. B (b) δ, 1; ε, 1. 23) A. I, 9. c, 4. 12. 13. d, 9. B (b), γ, 4. δ, 6. 24) A. I, c, 24 (bis). 25. 25) B (b) III, β, 1. 26) B (a) III, e, 1. (b) II, δ, 1. 27) A. I, b, 9. B (b). II, β, 2. C, I, 5 b.

mis annis particulae non ita augentur: nam in libris de legibus omnia, uno excepto[1]), exempla, quoniam ad ea, quae iam antea fuerunt, recidunt, — paucis, quae exigui sunt momenti, formulis omissis — usque ad a. DCCVIII. nova quaedam non invenitur. Tum autem dialogis, qui in hos annos incidunt, et exemplorum et variationum numerus ac vis augentur: nam a. DCCVIII. II[2]), XIV[3]) a. DCCIX. formulae accedunt, quarum plurimae et subordinationis et coordinationis genera supplent. Orationes autem a. DCCIX. et DCCX., cum tres tantum novas formulas praebeant, exigui sunt momenti.

Ut autem in variis et diversis scriptorum generibus Cicero variis et diversis, aliis alio loco, utatur formulis, ut conclusionem efficientibus in dialogis potissimum, **'ne . . quidem'** particulis affirmativis apposito et in orationibus et in epistulis, certe materiam, quae agitur, efficere puto, quoniam quin materia ut ad verborum copiam, ita ad particulas eligendas magni sit momenti, equidem non dubito.

Quodsi universum in omnibus omnium Ciceronis scriptorum generibus particularum usum intuebimur, quin in libris rhetoricis, quamquam pro exemplorum numero plurimae ibi inveniuntur variationes, tamen, cum Cicero minimas novaverit formulas, minime sit varius, non dubium esse intellegemus. Quibus in libris Cicero circiter LII omnium fere demonstrationis generum locutionum habet, quarum VI in rhetoricis tantum legimus, VII in R. D. O.[4]), II in R. O. E., III in R. D. E., VI in R. D., I in R. O.: reliquis in omnibus scriptorum generibus promiscue utitur. Simillimus eius, quamvis multo magis varius sit, usus reperitur in dialogis, quorum propriae sunt XXXI variationes, VII in D. R. O., XIV in D. O. E., II in D. R. E., XIV in D. O., VI in D. E., XV in D. E. legimus. Quae scripta quoniam omnium maxime usus varietate eminent, cum coordinationem tum subordinationem augent, quod in iis primo et in protasi et in apodosi et in conclusione **'ne . . quidem'** saepe ponitur, praeterquam quod etiam aliorum usus generum innumerabilia sunt exempla, id quod non minime usu illo tempore, cum plurimi dialogi scripti sunt, iam valde aucto efficitur, ut Cicero fixis quasi formulis tum uteretur: nam singulis quidem, quae aut in his aut in illis scriptis inveniuntur, formulis omissis, in dialogis omnia fere usus exempla leguntur.

Secundum dialogos autem orationes usus varietate conspicuae sunt et dialogis simillimae multisque ornandi generibus sociae ac paene pares omnium fere usus generum exempla habent: nam in his XXVII formulas in alio Ciceronis scripto non collocatas videmus, VII in O. D. R., XIV in O. D. E., II in O. R. E., I in O. R. Itaque ut exemplo utar, in orationibus summa gradationis formularum copia non minus XXX variationes praebet, quarum quidem XV in orationibus tantum reperiuntur.

Atque haec omnia particularum usus genera etiam in epistulis post a. DCXCVI. scriptis usurpantur, ut ex iis saepe, quo anno singulae particularum usus variationes primo inveniantur, statuere possimus. Universus autem particularum in epistulis usus ad dialogos maxime se applicans XXIX formulas easdem atque dialogi habet; ceterum orationibus, in quibus epistularum formulae XI leguntur, simillimus est, minime librorum rhetoricorum, quorum formularum V tantum in epistulis inveniuntur, naturam attingit. Sed etiam inter se epistulae ad Fam. et ad Att. differunt, quoniam quidem in epistulis ad Att. LXVII formulas praebentibus ornatius copiosiusque particulae dicuntur, quam in epistulis ad Fam., in quibus XL fere formae nobis occurrerunt. Atque epistulae ad Q. fratrem VIII, quae in epistulis ad Fam. non leguntur, variationes habent.

Sed in epistulis ad M. Brutum Ciceroni subditiciis XI usus genera eaque eadem, quae et ante Ciceronem et apud eum scripta vidimus, posita sunt, in epistula ad Octavium particulae ter collocatae novam quandam variationem non praebent.

Ex epistulis autem, quae ad Ciceronem scriptae sunt, eos, qui epistulas scripserunt, omnes Ciceronem imitatos esse, manifestum est, ut formulas a Cicerone primo usurpatas sermoni urbano tributas esse, appareat: nam ex XV, quae ibi leguntur, exemplis, IX formulae ante Ciceronem notae fuisse non videntur, omnes autem apud Ciceronem reperiuntur. Atque eorum, qui ad Ciceronem epistulas scripserunt, plurima exempla Caelius[5]) praebet; Metellus, Dolabella, Caecina, Brutus, Lentulus, qui formulis Ciceronianis utuntur, non maximam ad particularum amplificationem vim adferunt.

[1]) A. I, a, 5. [2]) A. I, c, 32. B (b). II, γ, 2. [3]) A. I, c, 30. d, 6. 8. II, 7d. III, 6. B (a) III, c, 2. 6. d, 1. 6. f, 3. B (b) II, a, 3; γ, 8a. c; δ, 4. [4]) O. = orationes, D. = dialogi, E. = epistulae, R. = rhetorica. [5]) Cic. ad Fam. VIII.

Quid multa? ea, quae dixi, ne plura consecter, ut comprehendam brevi, et **Ciceronem recte particularum 'ne . . quidem' usus auctorem, quin etiam novatorem fuisse** et **omnes qui post eum scripserunt auctores Ciceronem imitatos esse**, et **particularum usum paullatim auctum et amplificatum esse** et **'ne . . quidem' esse particulas cum prosae tum dialogorum orationis proprias,** liceat dicamus, praesertim cum et Caesar usus genera, omnia fere Ciceronis propria, usurpaverit, nec, Caesare et Sallustio et Nepote omissis, quisquam aut poetarum aut solutae orationis eius aetatis scriptorum **'ne . . quidem'** scripserit.

aetas Augusti. Exposito igitur **'ne . . quidem',** qui fuerit Ciceronis aetate, usu, nunc **Augusti aetate** quomodo particulae ponantur, utrumque iisdem ac Ciceronis aetate finibus teneantur, an amplificentur, eane aetas ut in aliis rebus vetusta secernens, ita loquendi rationem mutaverit necne, nunc videamus. Qua quidem aetate, quoniam plurimi auctores ad poesim se applicantes **'ne . . quidem'** paene numquam usurpant, orationis solutae autem auctores, paucis exceptis, plurimi scripta alicuius artis propria componunt, et rei exponendae plus, quam sermoni afferunt ponderis, particularum fines non ita prolatos esse, facile intellegitur.

Augustus. Et **Augustus** quidem imperator in monumento Ancyrano[1]), particulas ne semel quidem posuit, id quod, quoniam non est dubium, quin sermone urbano Augustus usus sit, tam brevi tempore intermisso tantaque Ciceronis aetatis varietate, mirum est, nisi res, quas coartavit et peranguste refersit in oratione sua, particulis non multum loci dedisse, putamus.

Vergilius. Ac ne **Vergilius**[2]) quidem usus generibus, Ciceronis aetate vulgaribus, nova attribuit, nisi **'ne . . quidem . . nec . . verum etiam'** variationibus gradationis non integris addimus.

Nec vero maiorem varietatem **Ovidius**[3]) affert, qui semel formulam Ciceronis usui similem praebet: Her. IV, 121: At **ne** nupta **quidem** taedaque accepta iugali Cur, **nisi ne** caperes regna paterna nothus? Et ex aliorum Augusti familiarium scriptorum reliquiis, nisi ex epistula quadam Asinii

Asinius Pollio. Pollionis[4]) III particularum **'ne . . quidem'** usus exempla Ciceronis propria, non cognovimus; quae quidem, cum et reliquiae pusillae sint et parvus exemplorum numerus, sola cum considerantur, quamquam, quomodo Pollio particulas posuerit, subtiliter iudicari non potest, tamen, an libenter ac saepissime **'ne . . quidem'** eum posuisse, inde efficiatur, equidem nescio: nam ut in una pagina **'ne . . quidem' ter** legatur, etiam apud Ciceronem perraro fit.

T. Livius. Sed orationis solutae eius aetatis scriptorum **T. Livius**[5]) longe saepissime et maxime varie particulas posuit, qui quidem, quamvis ad rationes usus particularum augendas, quoniam plerumque Ciceronis exempla recipit, exigui vere sit momenti, tamen, ut eius aetatis loquendi ratio, quam in partem augeatur, subtiliter iudicari possit, hic planius explicabitur. Livius enim, qui trecentiens duodetriciens fere **'ne . . quidem'** usus XCVIII variationes praebet, XII noviciis exceptis, Ciceronis usus rationes sequitur ille quidem, sed, quamquam usitatissimas omnium generum formulas posuit, tamen imitatione varietatem Ciceronis non consecutus particulis amplificandis operam iam non navavit. Quin etiam et ex iis, quas a Cicerone recepit, formulis et ex iis, quas addidit, Livius, aetatem argenteam iam appropinquare videmus, quoniam nonnullas, quas Cicero caute et raro scripsit, sicut **'et ne . . quidem'** copulationi Livius media in oratione praeter ceteras egregie studet (XVIII)[6]). Atque in novis, quas particularum usui attulit, variationibus Livius poetarum illius aetatis sermonem imitatus ab optimorum auctorum scribendi more iam valde aberrat et discrepat. Etenim pro **'et'** non raro in initio sententiae negationum copulatio **'nec (neque) non'** a Cicerone aliisque bonis scriptoribus ita ponitur, ut 'unum pluriave vocabula interponantur, ut negatio facilius possit ad verbum primarium referri, quocum compositum maiorem exhibeat affirmationem'[7]). Nec tamen Handius nec Draeger[8]) nec Kuehner[9]), qui multa de eiusmodi negationum formis disserunt, **'nec —, neque enim —, nec tamen ne . . quidem'** formulas, quamquam apud Livium non ita raro leguntur, afferunt. **'Nec — ne . . quidem'** formula optimam loquendi rationem secuta utroque, ubi invenitur, loco[10]) compluribus vocabulis interpositis

[1]) ed. Mommsenius. [2]) rec. Ribbeckius. [3]) rec. Riesius. [4]) Cic. Fam. X, 32. [5]) rec. Hertzius, Weissenbornius. [6]) I, 58, 4. II, 30, 13. IV, 3, 13. V, 2, 10. 38, 10. 49, 6 etc. [7]) Hand. Turs. IV. p. 111. [8]) l. l. II p. 68 sq. [9]) l. l. p. 625. [10]) XXII, 14, 4. XXXIII, 8, 11.

legitur, sed **'neque enim ne . . quidem'**[1]) et **'nec tamen ne quidem'**[2]) formulae, nullo interposito vocabulo, reperiuntur, et **'enim'** semper cum **'neque'**, id quod rarum esse dicit Draeger[3]), componitur. Nec minus Livius a vulgari genere orationis abhorrens **'ne . . quidem, ni'**[4]) pro **'ne . . quidem, nisi'** ponit, cum **'ni'** respondeat **'si non'** non **'nisi'**, qua de formula in Handii Tursellino, ubi de **'ni'** disseritur[5]), littera nulla invenitur. Itemque latinitatis argenteae sunt **'nisi ut**[6]) **(quod)**[7]) **ne . . quidem'** formulae, — quod **'nisi ut (quod)'** particularum coniunctio bonorum scriptorum propria non est — et eadem de causa **'ceterum ne . . quidem'**[8]): et **'quam . . tam ne . . quidem'**[9]). Ac ne illud quidem praetermittendum est **'adeo ne . . quidem'**[10]), quae formula bis a Livio scripta apud Ciceronem, qui ut comprobationem ac confirmationem cogitationis praemissae et gravitate et mira, quae in enuntiatione sequenti continetur, re effectam exprimat **'adeo'** perraro habet, ne semel quidem invenitur. Reliquae autem formulae Livio peculiares, si **'nullius ne . . quidem . . non'**[11]), formam Ciceronis aetate inusitatam, hic missam facimus, sermonem urbanum sequuntur, ut compositiones: **'nam ne . . quidem**[12]), **simul ne . . quidem**[13]), **et iam ne . . quidem**[14]), **unde ne . . quidem**[15]), **ne hodie quidem**[16]), **ne sic quidem**[17]), **ne . . quidem aut—que'**[18]) politissimorum more scriptae sint. Nec omittendae sunt formulae **'postquam ne . . quidem**[19]), **postquam**[20]) **—, ubi**[21]) **—, etsi**[22]) **—, sicut—, ita ne . . quidem**[23]), **ut qui ne . . quidem'**[24]), quae quidem, quamquam apud Ciceronem desiderantur, tamen cum Ciceronis usu consentiunt, particularumque in verborum comprehensione usum augent atque amplificant. Et disiunctivis in gradatione formis, quae saepissime et maxime varie in I., numquam in V. decade inveniuntur, XX usus Livius praeter **'non modo . . ne . . quidem**[25]), **ne . . quidem . . non modo'**[26]) cum **'non (neque) solum (nihil) sed (iam) ne . . quidem'**[27]), tum **'non (neque) modo (non, nemo, nullus, nusquam, nequaquam) . . sed ne quidem'**[28]) collocavit.

At quomodo singulae inter se differant decades difficile dictu est: nam, ut tabula docet, quoniam **'ne . . quidem'** legitur in

dec. I.[29])	circiter	545	paginis	116	locis,	semel	in	VI.	quaque	pagina,
„ III.	„	530	„	94	„	„	„	VII.	„	„
„ IV.	„	472	„	90	„	„	„	VI.	„	„
„ V.	„	196	„	28	„	„	„	VIII.	„	„
		1743	„	328	„	„	„	VI.	„	„

et in omnibus fere et numerorum et variationum paene eadem ratio est, Livius **'ne . . quidem'** initio saepissime, tum paullatim paullo rarius usus, si magnam variationum partem in altera decade, quae amissa est, iam fuisse, putari licet, in omnibus decadibus aequabiliter posuit.

Atque in **Iustini**[30]) epitome particularum usus exempla, quae invenimus, XXII **Pompeio Trogo** attribuimus, quod Trogi scribendi rationem a Iustino non multum mutatam esse, facile recte arbitramur, praesertim cum aliae formulae, ut: **'ne sic quidem**[31]), **si quidem —, ne . . quidem'**[32]), ad Livii dictionem se applicent, aliae ut: **'ne . . quidem . . nedum'**[33]) et imprimis praeter **'ne . . quidem . . non modo'**[34]) integrae gradationis formae **non modo**[35]) **. . (non solum nullas)**[36]) **. . sed ne . . quidem'** (v.), tum quidem iam non inveniantur, sed **'ne . . quidem'** Iustini aetate perraro omnino ponatur. Et cum ceteroquin, quod pura et incorrupta latine dicendi consuetudine usus est, Trogus praedicetur, si **'ne . . quidem'** Ciceronis ratione in variis et coordinationis generibus, ut **'ne . . quidem'**[37]), **'nunc quoque ne . . quidem'**[38]), **ne tunc quidem**[39]), **ne quidem . . sed**[40]), negationes praemissas premens[41]) **autem ne . . quidem**[42]), et subordinationis **'qui ne . . quidem**[43]), **ut—**[44]), **quod ne . . quidem**[45]) **cum—, ne . . quidem'**[46]), praebet, profecto mirum non est. **Pompeius Trogus.**

[1]) XXX, 30, 7. XXXI, 38, 6. XLIV, 36, 8. [2]) XXII, 25, 11. [3]) l. l. p. 68. [4]) XXI, 20, 8. [5]) l. l. IV p. 184 sqq. [6]) VI, 40, 20. [7]) XXXIII, 31, 3 [8]) XXI, 57, 5. [9]) VIII, 27, 10. [10]) X, 31, 14. XXXV, 10, 10. [11]) I, 55, 9. [12]) IV, 26, 11. XXIII, 29, 6. etc. [13]) XXV, 33, 5. [14]) XXVII, 18, 20. [15]) XXI, 10, 6. [16]) XXVIII, 27, 12. [17]) I, 50, 5. [18]) XXV, 26, 10. [19]) XXXI, 36, 5. [20]) XXVI, 17, 11. [21]) VI, 26, 5. [22]) XXII, 33, 6. [23]) XLV, 24, 7. [24]) IX, 43, 11. [25]) XXVIII, 39, 11. [26]) XXV, 15, 2. [27]) V, 42, 3. XXIX, 26, 1; V, 47, 3. VIII, 29, 12. XXXII, 19, 10. XXXVII, 53, 2. [28]) I, 40, 2. etc. II, 23, 14. IV, 3, 11. 51, 6 etc.; III, 7, 2; III, 24, 4; IV, 3, 10 etc.; IV, 35, 6. VI, 18, 4; 20, 2; XXVI, 2, 11; XXXIV, 62, 13; XXXV, 46, 13; XXXVI 17, 10 etc. etc. [29]) Hertzii editio rationi subiecta est. [30]) rec Ieep. [31]) I, 4, 4. [32]) I, 9, 20. [33]) XL, 2, 3. [34]) IX, 2, 6. [35]) II, 1, 6. [36]) XXVIII, 2, 5. [37]) I, 4, 4. XXX, 4, 9. [38]) XIV, 3, 10. [39]) XXVII, 3, 6. [40]) VI, 3, 6. [41]) XIX, 3, 12. [42]) IV, 5, 11. [43]) I, 8, 12. 9, 20 etc. [44]) XXI, 1, 7 etc. [45]) VI, 3, 6. [46]) XXVII, 3, 6.

Fenestella. Sinnius Capit. In **Fenestellae**[1]) autem et in **Sinnii Capitonis** reliquiis, quamquam **'quidem'** ab iis positum est, **'ne . . quidem'** non invenitur, pro quibus particulis Fenestella **'nec'** scripsisse mihi quidem videtur: 'Nec si a Numidis Gaetulis captus sit, ad ducem Romannm pervenire potuisset'.

Verrius Flaccus. **M. Verrius Flaccus,** doctissimus ille illius aetatis libertus, cuius pusillae in Pompei Festi[2]) epitome reliquiae IV **'ne . . quidem'** exempla praebent, has fere locutiones habet: **'ne . . quidem . . sed**[3]) **(sed etiam)**[4]), **itaque ne . . quidem**[4]), **ut ne . . quidem**[3]), **si —, ne . . quidem'**[5]). Itemque in excerptis Pauli et Festi **'ne . . quidem'** quater legitur **'ne . . quidem . . sed**[6]); **sed ne . . quidem**[7]), **qui —**[8]), **ut ne quidem'**[9]) quae exempla, quin Verrii sint, iisdem de causis, quas ad Pompeium Trogum attulimus, non dubitamus. Exposito igitur usu Verrium particularum genera nisi a Cicerone formata non praebuisse videmus.

Hyginus. Itemque **Hyginus,** quamquam ceteroquin vitiosa et corrupta utitur consuetudine latine scribendi, de particulis **'ne . . quidem'** Ciceronem imitatus est: nam in IV quidem de astronomia libris has fere formulas habet: **'igitur ne quidem**[10]) **. . nisi forte**[10]), **ut ne . . quidem'**[11]); serioris autem aetatis est formula: **'ideo quod —, ne quidem'**[12]).

At in fabulis particulae ne semel quidem inveniuntur, sed **'nec'** pro **'ne . . quidem'** ponitur[13]). Quodsi quin et fabularum et astronomicon auctor idem sit, non dubium esse dicitur[14]), si particularum **'ne . . quidem'** in utroque scripto usum subtilius contemplabimur, sane mirabile mihi hoc quidem est: namque, si non ita saepe **'ne . . quidem'** in libris de astronomia posuit, at certe particulas sibi notas fuisse demonstrat, cum in fabulis particulas ne nosse quidem videatur. Atque idem de **'quidem'** observavimus, quod in libris de astronomia quinquiens, in fabulis ne semel quidem invenimus. Ac ne illud quidem praetermittendum puto esse, quod in libris de astronomia **'autem'** in unaquaque pagina identidem, in fabulis ne uno quidem loco legimus. Itaque utriusque scripti eundem esse auctorem non ita certum est, nisi Bursianum secuti, fabulas II. p. Chr. saeculi grammatici esse epitomen, putamus.

Vitruvius. Ac ne **Vitruvius** quidem **Pollio**[15]) particulas ornate aut copiose, sed potius eodem semper modo posuit, cum III, quae apud eum inveniuntur, exemplis[16]) particulam **'omnino'** addidit, quam formam iam apud Ciceronem legi, supra dictum est. Itaque etiam formulae **'non modo (non) . . sed ne . . quidem'** adiecit **'omnino'**, id quod Vitruvii sermoni cottidiano semper eodem modo formato respondet et facile eo declaratur, quod **'omnino'** unum est ex iis, quae Vitruvius adamavit, vocabulis[17]).

Antistius Labeo. Atque ex illius aetatis iuris consultis unus **M. Antistius Labeo**[18]) semel **'nam ne . . quidem'** praebet, quam quidem formulam iam apud Nepotem et apud Livium cognovimus. Sed quomodo ceteroquin **'ne . . quidem'** posuerit, praesertim cum reliquiae et pusillae sint et Labeonis sermonem corruptum facile reddant, accuratius cognosci non potest.

M. Porcius Latro. P. Rutilius Lupus. Rhetores autem eius aetatis praeter **M. Porcium Latronem**[19]), qui, id quod eo rarius est, in versibus **'ne . . quidem'** posuit et **P. Rutilium Lupum**[20]), qui semel **'ne . . quidem'** pronomini relativo adiecit, particulas neglexerunt.

Ann. Seneca. Sed multo maioris ad cognoscendum eius aetatis particularum usum momenti est **Annaeus Seneca**[21]), quem, cum Ciceronem scriptorem maxime admiratus sit, universi eius sermonis esse imitatorem, cum multis aliis rebus tum particularum **'ne . . quidem'** usu dilucide comprobatur. Namque CXVII fere **'ne . . quidem'** exempla circiter XLVI variationes praebent, quae, paucis exceptis, artissime ad Ciceronem se applicant easque, quae apud eum desiderantur, variationes quadam ex parte supplent, sicut **istinc**[22]) **—, quotiens**[23]**) —, 'sive ne . . quidem'**[24]), **quantum**[25]**) —, ut**[26]**) —, quamvis**[27]**) —, ne . . quidem, ne . . quidem, nisi si'**[28]). Livii autem sermonem sequuntur formulae: **'et ne . . quidem**[29], **ne sic quidem**[30]), **nisi ut ne . . quidem'**[31]). Senecae propriae sunt **'ne . . quidem nondum'**[32]) et **'ne propter hoc quidem'**[33]). Ac libentissime et saepissime particulas cum **in media oratione** (VII)[34]) tum **in initio** (XIV)[35])

1) Sall. ed. Cortius Lips. 1725. 2) rec. O. Mueller. 3) l. l. p. 293. 4) l. l. p. 290. 5) l. l. p. 237, 1. 6) l. l. I p. 16, 4. 7) V, 82, 19. 8) V, 77, 16. 9) I, 16, 4. 10) IV, 14. 11) IV, 3. 12) IV, 14. 13) CXCIII. CCLVII. 14) Teuffelius Gesch. d. Röm. Lit.² p. 572, 7. 15) rec. V. Rosius et H. Mueller-Struebingius; index Vitr. H. Nohlius. 16) II, 6, 5. VI, 1, 6. X, 22, 5. 17) vide Nohl. l. l. 18) Hommelius pal. I, p. 325. 19) Suet. ed. Rothius p. 292. 20) rhet. lat. min. rec. C. Halmius. 21) rec. Kiesslingius. 22) C. I, 2, 10. 23) C. II, 5, 11. 24) S. III, 1. 25) C. I, 5, 1. 26) C. X, 4, 6. 27) C. II, 3, 8. 28) C. IX, 25, 24. 29) C. I, 2, 4. etc. 30) C. II, 1, 7 etc. 31) C. I, 3, 2. 32) S. VI, 10. 33) S. VII, 1. 34) C. I, 11. II, 11, 1 etc. 35) C. I, 1, 2. 4, 1. etc.

aut **relativo appositas** (XIII)[1]) transitus causa collocat; praeterea mirifice adamat: **'et ne . . quidem**[29]**)**, **ne . . quidem . . sed**[2]**), deinde ne . . quidem**[3]**), non . . ne . . quidem**[4]**), ut ne . . quidem**[5]**), si—, ne . . quidem**[6]**), ne . . quidem . . nisi**[7]**), an ne . . quidem'**[8]). Sed aliis exemplis omissis ex iis, quae attulimus, quamquam omnium cum coordinationis tum subordinationis genera usitatissima eum praebere vidimus, tamen in eius scriptis nec coordinationis disiunctivae nec gradationis **'non modo (non) . . sed ne . . quidem'** formulam legimus, id quod eo magis est mirum, quod ea cum ab omnibus post Varronem scriptoribus tum a Cicerone formata ac variata, a plurimis Senecae aetate scriptoribus plane neglegitur.

At in excerptis, quae IV. aut V. saeculo orta controversias aut excerpunt aut ex parte quadam amissas supplent, quoniam exempla, quae in singulis controversiis leguntur, plerumque repetuntur, excerpta certe plurima ex controversiis amissis exempla reddere arbitrati eorum exempla pro amissis substituimus, reliquorum[9]) — III[10]), quae alio loco non inveniuntur, exceptis — exempla eadem de causa omittenda esse putavimus. Sed alia, quae cum Cicerone consentiunt, usus genera infra videbuntur.

Quodsi universam eam aetatem respicimus, etiamsi has tantum particulas intuemur, tamen, quam magnum sit inter Ciceronis et Augusti aetatem discrimen, quam valde tum auctus sit sermo, quantopere oratio indotata prius et incorrupta particularum dote locupletata et ornata sit, quamque celeriter descendat, ut ita dicam, loquendi ratio, uno aspectu videmus: nam illius quidem omnium sermonis urbani rationum amplificationis, quae quidem a Cicerone effecta est, Augusti aetate adumbrata quasi imago relicta est. Singuli enim scriptores aut singulas usus formas habent usitatissimas aut, si quid novi sermoni afferunt, a bonorum scriptorum ratione haud raro aberrant latinitatique argenteae, quae dicitur, ac poetarum sermoni appropinquant: ut paucae, quae illa aetate particularum usui additae sunt, formae, quoniam aut earum, quas iam Cicero formavit, locutionum variationes sunt aut incorruptae sermonis latini integritati repugnant, exigui sint momenti.

1. imperatorum saeculum.

Quo itinere instituto cum proximo saeculo pergatur, orationi vetustae datur species quaedam novitatis, quae, perfecto completoque Ciceronis aetatis verborum ambitu neglecto, ut narratio magis magisque poetica coloretur oratione plurimaeque enuntiationum rationes tum mutentur, efficit. At tamen, componendi ratione laxata, quamquam multae, quae compositionis pedes complectuntur, particulae ea aetate evanuerunt, particulae **'ne . . quidem'** maiorem in modum, quam Augusti aetate, tum quidem nos capiunt. Sed de ea re hactenus; nunc, quomodo singuli eius aetatis scriptores **'ne . . quidem'** posuerint, videamus.

Velleius Paterculus.

Et **M.** quidem **Velleius Paterculus**[11]) **'et ne . . quidem . . neque**[12]**), — . . sed**[13]**), — . . nedum**[14]**), — . . ne**[15]**), — . . adeo nemo**[16]**), cum ne . . quidem**[17]**) aut**[17]**) . . immo**[17]**) cuius—, ne . . quidem**[18]**)'** paucas et coordinationis copulativae et subordinationis formas lectissimas praebet. Sed II, 67, 1 Haasium **'nec . . quidem . . adeo nemo'** non recte pro **'ne . . quidem . . adeo nemo'** legere, equidem existimo, quoniam **'nec . . quidem'** ita nusquam adhuc legitur, et Velleius Paterculus et **'ne . . quidem . . nedum'** et **'ne . . quidem . . ne'** posuit. Et **'ne . . quidem . . adeo (nemo)'** formula, apud Velleium novicia, cum a plurimis illius aetatis auctoribus recipiatur, certa quaedam latinitatis argenteae est nota.

Valerius Maximus.

Sed **Valerii Maximi**[19]), qui ex LXXIII particularum **'ne . . quidem'** exemplis XXXIV in transitu posuit, orationi neque argumenti neque elocutionis varietate commendabili, quoniam iisdem semper occurrimus enuntiationum copulis, certa quaedam transitus formularum copia prompta fuisse videtur, quae cum certo quodam intervallo repetantur, tamquam in charta notatae singulae deinceps in oratione ab eo positae sunt. Cuius modi in transitus formis, quas circiter XL habet, etiam **'ne . . quidem'**, particulis copulativis et adversativis aliisque paucis positis, diligentia quadam atque ordine collocat, id quod egregiae orationis facultatis non esse, manifestum est. Nec vero Ciceronis modo, cuius ex scriptis universum particularum **'ne . . quidem'** usum recipit, succum et colorem orationis non praebet, sed ne Ann. quidem Senecae varietatem aequavit. Itaque ne illam quidem gradationis formulam **'non**

[1]) S. II, 16. etc. [2]) S. II, 3, 6 etc. [3]) S. V, 4. etc. [4]) C. I, 5, 1 etc [5]) S. VI, 15 etc. [6]) C. I, 1, 2 etc. [7]) S. II, 8 etc. [8]) C. II, 5, 13 etc. [9]) Exc. I. II. VII. IX. X. [10]) IX. Exc. 5 et 6. X. Exc. 1. [11]) ed. F. Haasius. [12]) I, 12, 6. [13]) II, 34, 1. [14]) II, 89, 1. [15]) II, 116, 3. [16]) II, 67, 1, [17]) II, 118, 2. [18]) II, 124, 1. [19]) rec. Halmius.

modo (non) . . sed ne . . quidem' Valerius posuit, sed illam suppleturus: V, 3, 2 scripsit: 'nihilo virtute posterior Africanus avo minor, sed ne exitu quidem felicior'.

Universi autem praeterea particularum in Valerii libris usus XXX variationes quas, paucis exceptis, cum Livium tum Ciceronem sequi supra diximus, hae fere sunt: **'Ne . . quidem** (XIX)[1]), **Ac**[2]) **(ac)**[3]) **ne . . quidem** (IX), **ne . . quidem . . — que**[4]), **— . . ac**[5]), **numquam . . ne . . quidem**[6]), **sed**[7]) **—, At**[8]) **—, Ceterum**[9]) **—, Immo**[10]) **—'. Sic**[11]) **—, Itaque ne . . quidem'**[12]), **qui**[13]) **—, ut**[14]) **—, quod**[15]) **—, quia**[16]) **—, quoniam**[17]) **—, cum**[18]) **—, si ne . . quidem**[19]); **si —, ne . . quidem**[20]), **ne . . quidem . . nisi**[21]), **ut non — . . ita ne . . quidem**[22]).

Atque in iis, quae modo diximus, particularum in verborum comprehensione usus, qualis fuerit, summatim breviterque descripsimus, nunc paucis, quomodo semel verba sint convertenda explicabimus. Namque plurimis in exemplis quoniam Valerius vulgaria particulas collocandi praecepta sequitur, V, 6, 8, ubi 'ac ne **beneficio senatus** quidem' codices habent, 'ac ne **beneficio** quidem **senatus**' legi, equidem volo, quia verborum ordo ita immutatus, notione non turbata, Valerii usui respondet. Et de Valerio quidem Maximo hactenus; de Iulio autem Paride et Ianuario Nepotiano, eius epitomatoribus, quoniam IV. aut V. saeculo fuerunt, particulasque, ut tum quidem scribendi ratio est, perraro et corrupte ponunt, neque nova addunt Valerio exempla, infra plura dicentur.

Celsus. Sed plane aliam indolem aliumque stilum atque in omnium post Ciceronem usque ad id tempus auctorum scriptis in **A. Cornelii Celsi** libris[23]) uno quasi aspectu videmus, qui et propter egregiam dicendi facultatem et propter simplex atque candidum dicendi genus summis laudibus dignus est, qui efferatur. Quam ob rem quoniam Celsus in aliis rebus ad Ciceronis sermonem se applicat, si **'ne . . quidem'** non solum eodem modo, atque Cicero usurpare studet, sed etiam novas quasdam locutiones, quae neque sermonis poetici nec latinitatis argenteae propriae sunt, addit, mirum non esse, equidem existimo. Itaque in LXXXVIII, quae apud Celsum inveniuntur, exemplis XLVII usus variationes, quarum maxima pars exempla Ciceroniana reddit, quaeque omnia fere praebent et coordinationis et subordinationis genera, reperimus. Itaque et coordinationi cum disiunctivae[24]) tum copulativae[25]) et adversativae[26]) et causali[27]), et omnibus subordinationis generibus **'ne . . quidem'** attribuit, sicut: **'ut**[28]) **—, quod —**[29]), **ubi**[30]) **—, quia**[31]) **—, si (vero) —, (at certe)**[32]), **sicut ne . . quidem**[33]); **quod (was)**[34]) **—, quia—**[35]); **si**[36]) **—, nisi (cum)**[37]) **—, dum**[38]) **—; cum**[39]) **—, ne si quidem**[40])**'**; et formas quasdam novas adiunxit, ut, etiamsi summa illa Ciceronis variationum copia non invenitur, tamen varietas quaedam, quae nitidum quoddam genus efficit verborum et laetum, non desideratur.

Atque coordinationis disiunctivae formula **'ne . . quidem vel . . vel'**[41]) nova illa quidem est, sed ad sermonem Ciceronis se applicat, ut aliae, quas Celsus novavit, formulae **'ideoque**[42]) **—, ob haec (id, quam)**[43]) **—, verum**[44]) **—, quamvis ne . . quidem**[45]), **dum**[46]) **—, nisi cum —, ne . . quidem**[47])**'**. Nec tamen Celsus, quamquam totum se ad Ciceronis imitationem contulit et plerumque felici studio eum imitatus est, a consuetudine illius aetatis iam non incorrupta plane recessit. Itaque latinitatem argenteam secutus Celsus praeter **'ne . . quidem . . adeo non'**[24]); quam formulam primo apud Velleium invenimus **'ne . . quidem . . adeo'**[24]) = **'nicht einmal . . um so mehr'** habet, alias autem gradationis formulas pro sua aetate plane neglexit. Ac ne illud quidem praetermittamus, quod Celsus complures usus variationes ita adamavit, ut ubicumque fieri potest, ponat: **Ac (ac) ne . . quidem** (X. V.), **ne . . quidem . . sed** (IX), **ideoque ne . . quidem** (V); **si ne . . quidem** (IV), **si —, ne . . quidem** (IX).

Quomodo autem illius aetatis iuris consulti, quoniam et reliquiae exiguae sunt nec, quatenus verba ab aliis auctoribus nobis prodita, illorum propria sint, satis accurate dici potest, particulas usurpaverint, difficile est iudicatu. Itaque ea ratione consideremus **'Quocirca ne id quidem** Sabinus dubitare se

[1]) I, 5, 2 etc. [2]) I, 7, 5. [3]) V, 4, 5. [4]) III, 8, 2. [5]) VI, 5 Ext. 2. [6]) III, 2, 1. [7]) II, 8, 2. [8]) V, 6 Ext. 4. [9]) III, 2, 7. [10]) V, 3 Ext. 3. [11]) VIII, 7 Ext. 3. [12]) IX, 3, 3. [13]) I, 1, 15. [14]) IV, 8, 3 etc. [15]) VIII, 14 Ext. 2. [16]) II, 1, 4. VI, 2, 2. [17]) III, 7, 1. [18]) VII, 8, 6 etc. [19]) VI, 9, 15 etc. [20]) VII, 2 Ext. 5. [21]) V, 3, 2. [22]) II, 9, 6 etc. [23]) rec. Darembergius. [24]) I, 6. VII, 27; I, 2. II, 8. [25]) IV, 15; I, 2 etc.; II, 3 etc.; III, 4 (p. 81); IV, 11 etc.; I, 6 etc. III, 15; II, 6. [26]) V, 26, 35. II, 3. III, 5. [27]) Prooem. p. 6; II, 8 (bis); V, 27, 11; VII 26, 5. [28]) III, 4 etc.; [29]) Prooem. p. 10. [30]) V, 26, 21. [31]) III, 23. [32]) II, 4 etc. III, 5; II, 15. [33]) VIII, 1. [34]) Prooem. p. 10. [35]) II, 10. [36]) II, 3, 8 (bis) etc. [37]) VI, 18, 7 etc.; VII, 26, 2. [38]) II, 8. [39]) II, 10. [40]) VIII, 4. [41]) I, 2. [42]) V, 26, 34 etc. [43]) Prooem. p. 8; VII, 12, 4; III, 21. [44]) VIII, 25. [45]) Prooem. p. 9. [46]) II, 8. [47]) VII, 26, 2.

ait, quin' etc. — quae verba **Masurii Sabini,** cui attribuuntur[1]), fuisse propria, equidem puto, praesertim cum apud Gellium neque ea neque similis particularum compositio inveniatur. **Masurius Sabinus.**

Nec vero in **Q. Remmii Palaemonis**, illius aetatis grammatici, reliquiis[2]) aut in **Apicii** de re coquinaria libro[3]) aut **'quidem'** aut **'ne . . quidem'** legitur. **Palaemo. Apicius.**

Atque ex imperatoribus unus **Claudius** in orationis, quam a. XLVIII p. Chr. in senatu habuit, pusillis reliquiis[4]) **'ne . . quidem'** semel usus est: **'Sed ne** provinciales **quidem**, **si modo** ornare curiam poterint, reiciendos puto', quod exemplum nec novam particularum variationem praebet nec, quomodo Claudius ceteroquin **'ne . . quidem'** usurpaverit, diiudicandi argumentum addit. **Claudius.**

L. autem **Annaeus Seneca**[5]) philosophus, cuius scriptio per totum hoc saeculum pertinet, unus hic est nominandus ex omnibus unusque inter omnes istos in omni genere dicendi eminet, praesertim cum **'ne . . quidem'** et creberrime et maxime varie ponens, qualis fuerit tum particularum usus, satis ostendat. Qui, ut summatim breviterque dicamus, Ciceronis particularum usum et retinuit et progressus multis novis compositionibus locupletavit et ornavit. **L. Annaeus Seneca.**

Seneca particulis, ni fallor, trecentiens fere usus circiter LXXXV variationes praebet, inde, quam valde Seneca aequales suos superet, facile intellegitur. Sed ut expressam eius usus teneamus imaginem, per singula usus genera et partes persequamur.

Et **coordinationis** quidem **copulativae** generum, quorum omnes fere formulae apud Senecam coniunctionibus aut praepositis aut postpositis inveniuntur, praeter **'ac ne . . quidem'** (I)[6]), saepissime transeundi causa cum **'et ne . . quidem'** (XXI)[7]), tum **'ne . . quidem' in enuntiationum initio**[8]) posuit (LI); coniunctiones **'et**[9]) -- **que**[10]), **nec**[11])' aut continuant **'ne . . quidem'** aut item ut **'sed**[12]), **tamen**[13]), **immo vero'**[14]), particulis respondent. **Gradationis** autem formulis, si vulgares et usitatas illas **'ne . . quidem' negationibus aut praemissis**[15]) **aut omissis**[16]), **ne . . quidem omnino**[17]), **ne . . quidem . . nedum**[18]) **(ne**[19]), **adeo'**[20]) hic praetermittimus, multas, de quibus paullo infra plura dicentur, addit et **distributionis** formas **'deinde**[21])**—, praeterea**[22])**—, quid quod**[23])**—, age ne..quidem'**[24]) habet. **Adversativae** autem **copulationis** formis Seneca **'ne . . quidem**[25]), **Sed**[26]) **(sed)**[27]) — (XV), **vero**[28])—, **atqui**[29]) **ne . . quidem', disiunctivae 'aut ne . . quidem**[30]), **ne . . quidem aut**[31]) **(aut . . aut)**[32]), **aut ne . . quidem aut etiam**[33]) utitur et **causalis coordinationis** formis **'nam**[34]) —**ita**[35]) —**itaque**[36])—**ergo**[37])— **sic**[38]) — **ideoque**[39]) **ne . . quidem'** addit **'ideo ne . . quidem'**[40]). Ac ne minorem quidem in **subordinationis** partibus Seneca praebet usus varietatem, sed omnium enuntiationum generum cum in **protasi** coniunctionibus **'cum**[41]) —, **quia**[42]) —, **quoniam**[43]) —, **si**[44]) —, **quamquam**[45]) —, **sicut**[46]) —, **quemadmodum'**[47]) apposuit **'ne . . quidem'**, tum in **apodosi,** quam multo magis ornavit, cuiusque multas formas primus solusve habet, sicut **'quippe**[48]) —, **quocumque modo**[49]) —, **quemadmodum non —, (ita**[50]), **sic**[51]) **ne . . quidem'**[52]) et plurimas ex Cicerone et Caesare optimisque scriptoribus repetit: **qui**[53])—, **cum**[54])—, **ubi**[55])—; **quia**[56])—, **quoniam**[57])—, **cum**[58])—; **si**[59])—, **si modo**[60])—, **quodsi**[61])—, **nisi**[62]) —; **quamvis**[63]) —, **etiamsi**[64]) —, **ne . . quidem, ne si quidem**[65]); **ut** —, **ita ne . . quidem**[66]), **quomodo non —, sic ne . . quidem'**[67]).

Quodsi Senecae particularum **'ne . . quidem'** usum cum Cicerone comparabimus, quae sint discrepantiae quaeque latinitatis argenteae propria, facile intellegemus. Itaque Seneca, etiamsi tanta, quanta Cicero, non utitur varietate, tamen omnium fere usus generum exempla Ciceronis ratione praebet, ut summatim strictimque dicamus, **eum similiter atque Ciceronem particulas posuisse** et usus differentias in duobus potissimum generibus, in corresponsionibus illis gradationis et in comparatione,

1) Huschkius l. l. p. 57. 2) Keilius l. l. V, 533 sqq. 3) rec. Schuchius. 4) Tac. ann. rec. Nipperdeius. 5) rec. F. Haasius. 6) N. Q. VI, 1, 7. 7) Dial. IV, 9, 3 etc. 8) D. I, 1, 3. etc. 9) D. IV, 31, 8 etc. 10) D. IV, 22, 2. 11) D. VII, 15, 4. 12) D. II, 14, 3 etc. 13) E. m. XV, 2, 24. 14) D. XI, 15, 3. 15) D. II, 14, 3. 16) D. XII, 4, 3. 17) Ben. III, 35, 3. 18) Dial. II, 5, 4 etc. 19) Dial. IV, 4, 2. 20) E. m. XX, 3, 21. 21) Ben. I, 1, 9 etc. 22) E. m. XII, 3, 38. 23) E. m. IV, 11, 5. 24) E. m. I, 7, 5. 25) E. m. I, 5, 3 etc. 26) D. I, 5, 6 etc. 27) D. VI, 24, 3. 28) N. Q. II, 32, 5 etc. 29) E. m. XIII, 2, 29. 30) E. m. III, 2, 7. 31) D. III, 11, 8. 32) D. XI, 6, 4. 33) D. III, 20, 9. 34) D. VIII, 2, 1 etc. 35) D. VII, 7, 4 etc. 36) D. II, 13, 2 etc. 37) E. m. VII, 4, 9. 38) D. VIII, 1, 2. 39) D. VII, 12, 15. 40) D. III. 6, 4 etc. 41) E. m. VI, 7, 12. 42) D. V, 37, 1 etc. 43) D. VIII, 5, 8. 44) D. III, 6, 2 etc. 45) N. Q. V, 9, 3. 46) D. IV, 4, 2. 47) frg. de sup. 34. 48) N. Q. III, 27, 12. 49) N. Q. II, 28, 2. 50) Ben. IV, 17, 2. 51) E. m. V, 11, 4. 52) E. m. VI, 5, 8. 53) E. m. XIV, 4, 20. 22. 54) D. VII, 12, 5. 55) D. V, 1, 5. 56) E. m. VI, 7, 18. 57) D. IV, 24, 1. 58) D. V, 14, 5. 59) D. II, 8, 1. 3 etc. 60) E. m. V, 10, 5. 61) Ben. V, 12, 3. etc. 62) E. m. XVIII, 6, 15; D. VI, 24, 3. 63) E. m. V, 11, 3. 64) E. m. V, 9, 5. 65) D. II, 4, 3. 66) E. m. VI, 6, 32. 67) E. m. VIII, 2, 16.

reperiri. Etenim omnium post Vitruvium latinitatis argenteae auctorum consuetudine Seneca, integris illis gradationis corresponsionibus neglectis, variis formulis non plenis ut **'non ne . . quidem**[1]), **non . . immo ne . . quidem**[2]), **et non . . sed ne . . quidem**[3]), **ne . . quidem . . immo vero**[4]), **ne . . quidem . . sed tantum**[5]), **nec tantummodo non . . ne . . quidem**[6]), **aut ne . . quidem . . aut etiam'**[7]) eandem vim ac notionem subicit. O. Rauschningius[8]) igitur 'polysyndeta atque particulas sibi respondentes Senecam neglexisse, recte dicit ille quidem, sed non satis accurate, apud eum deesse locutiones **'cum — tum'** et **'non modo — sed etiam'** addit, cum quidem non eas modo formulas, sed etiam multas alias Ciceronis corresponsiones gradationis deesse, aliasque pro illis non integras Senecam posuisse, eum ibi dicere necesse esset, praesertim cum aliquot eius generis formulae ibi explicentur.

Nec minus a bona consuetudine sermonis abhorret Seneca de ir. II, 8, 3: **'Ne** a fortuna **quidem numquam** par recessit', de quo usu Handius[9]) recte ita fere praecipit: 'in sententia, quae ipsa est negativa, interponitur nomen aliquod per **'ne . . quidem'**: sed ea condicione, ut **praecedat altera negatio.** Nam ubi **'ne . . quidem'** primum locum obtinet, non succedit ista altera negatio'.

Sed alias novas Senecae locutiones non tam a praescriptione deficere, quam ad optimum sermonem se applicantes usum particularum augere, supra vidimus.

Et quoniam generatim atque universe de iis, quae maxime perspicua sunt, satis multa mihi verba fecisse videor, nunc, id quod caput est, quomodo **'ne . . quidem'** particularum vim minuerit Seneca, videamus. Iam Ciceronem paucis in formulis, sicut **'ut ne . . quidem'** saepe **'ne . . quidem'** ita collocasse, ut non raro idem fere ac **'non'** cum gradatione quadam dictum significet, supra diximus; Seneca vero longius progressus ab optima loquendi ratione aberrat, cum et saepissime **'nec'** pro **'ne . . quidem'** ponit et **'ne . . quidem'** saepissime pro **'non'** prorsus usurpat, aut interdum pro **'neque'** vel **'non — quidem (= zwar nicht)'** utitur. Quam particularum significationem **'ne . . quidem . . sed, et ne . . quidem'**, quas quidem locutiones adamavit Seneca, dilucide demonstrant, ut formularum altera **'nicht . . aber'**, altera **'und zwar nicht'** reddatur; praeterea autem **'ne . . quidem'** solum media in oratione **'und zwar nicht'** significans a Seneca collocatur[10]), de quo particularum usu littera nulla in Rauschningii commentatione invenitur.

Sed quoniam Rauschningium in multis rebus non satis accurate pertractasse particulas modo vidimus, ne illud quidem neglegendum est, quod de **'nec — quidem'** pro **'ne . . quidem'** posito dicit[11]), ad quem usum comprobandum magnum exemplorum numerum affert, quos quidem locos, reliquo particularum usu apparatuque critico neglecto, augere possum: sed quoniam mendose **'nec'** pro **'ne'** scriptum esse, equidem suspicor, ubique **'ne'** substituendum esse, paucis explicabo. Sed quid ego eius opinionem animadvertam, codicum lectiones usumque Senecae universum ac singularem locutionum rationem perspicere cum liceat? Atque exempla et ea, quae Rauschningius l. l. attulit, et ea, quae praeterea prompta mihi sunt, locutiones Senecae proprias praebent.

Et D. III, 20, 4 Haasius lectionem **'sic nec** amari **quidem** vellem' recepit. Sed si accuratius loci illius verborum continuationem intuebimur, ibi negationum gradationem esse, facile intellegemus: 'Oderint: quid? dum pareant? **non.** dum probent? **non.** Quid ergo? dum timeant: **sic nec amari quidem vellem.** Quoniam autem Seneca negationum gradationem Ciceronis more per **'ne . . quidem'** efficit, quoniamque, id quod caput est, **'sic ne . . quidem'** formulam adamavit, ne ibi quidem quin ea legatur, dubium est. Itemque de clem. I, 25, 5, et Ben. III, 29, 8, qui loci illi similes sunt, **'ne . . quidem'** scribimus. Atque eadem ratione de clem. I, 5, 4 pro **'nec'** legendum est **'ne'**, quoniam Seneca, negationibus praemissis, ut se corrigat quasi, semper **'immo ne . . quidem'** posuit[12]).

N. Q. II, 35, 2 Haasius legi vult: **'quemadmodum — non** recurrit, **nec** moratur **quidem**: **sic'** etc. Quodsi cum eo loco comparabimus D. I, 2, 1: **'quemadmodum non** mutant, **ne** remittunt **quidem: ita'** etc. aliosque, qui hanc formulam Senecae propriam habent, locos intuebimur, quin ibi **'ne . . quidem'** legendum sit, sine ulla dubitatione confirmabimus.

1) D. I, 2, 1. 2) D. V, 4, 4. 3) D. II, 10, 3. 4) D. XI, 15, 3. 5) D. III, 2, 6. 6) D. XI, 6, 4. 7) D. III, 20, 9. 8) de lat. L. Ann. Senecae philosophi. Reg. 1876. 9) l. l. IV. p. 64. 10) D. V, 23, 7. 11) l. l. p. 51. 12) D. V, 4, 4. IX, 9, 5. Ben. II, 10, 4. VI, 21, 2. 43, 2.

Et cum per mihi mirum videatur, Senecam cum **semel et quinquagiens** per **'ne . . quidem'** — quorum exemplorum VIII in libris de beneficiis, VI in N. Q. leguntur — orationem nexerit, **quater**[1]) per **'nec . . quidem'** enuntiationes copulasse, fugere neminem potest, quomodo emendandi sint hi loci.

Ben. V, 12, 3 et VII, 18, 1: **'nec . . quidem'** a Haasio scriptum videmus, quibus locis, cum similia exempla **'ne . . quidem'** praebentia supra allata sint, cumque duodeciens Seneca posuerit **'si (non) —, ne . . quidem'**[2]), **'nec'** mendose scriptum mihi videtur, praesertim cum praeterea **'ne . . quidem . . nisi'** a Seneca haud raro positum sit[3]). Quare N. Q. VI, 24, 2, cuius loci mendum idem sit, pro **'neque . . quidem'** aut **'ne . . quidem'** aut **'et ne . . quidem'** legi posse puto. — Ben. V, 19, 7: **Et** interim **nec** nosti **quidem** patrem. Hic locus, quoniam in eam incidit formam, quam supra a Seneca usurpari demonstravimus, quoniamque **'nec'** omni **'et ne . . quidem'** formulae naturae atque usui repugnat, **'ne . . quidem'** scribi volo.

Ben. VII, 11, 1: 'ridens reiecit **nec** dignam **quidem** summam iudicans' scripturam corruptam esse, sane manifestum est: nam cum particulis in media oratione positis notionem **'und zwar nicht'** subicere, Senecae proprium sit, etiam hoc loco nihil offenditur. Idem mendum, quod hic eum locum insederat, in N. Q, V, 15, 1 irrepsit; quem quidem locum mendosum esse praeterea XXIX illae ex Seneca' **ne . . quidem . . sed'** formulae exempla dilucide demonstrant. Eademque ratione emendandum est N. Q. IV, 13, 8.

Ben. VII, 14, 6: si oblitus esset accepti beneficii, **si nec** temptasset **quidem** gratus esse etc. Hoc loco, quoniam a Seneca, ubicumque eius generis forma invenitur, **'si ne . . quidem'** collocatur, scribendum est igitur **'si ne . . quidem'.**

Ben. I, 4, 1: **'ut nec** circa rem **quidem** sint'. Sed quoniam, ubicumque ea formula a Seneca ponitur (VIII)[4]), **'ut ne . . quidem'** legimus, et hic et ibidem VII, 27, 3 **'ne . . quidem'** scribimus.

N. Q. I, 2, 6: 'Is autem, **qui** fluit, **nec** feritur **quidem** lumine' legitur. Sed cum loci: E. m. XIV, 4, 22: **quem non** transferunt, **ne** ex beata **quidem** vita educunt, et ibd. 4, 20 idem sequantur praeceptum et in utroque **'ne . . quidem'** codices habent, etiam hic **'ne . . quidem'** scribi volo.

Sed ad hos locos accedit N. Q. II, 41, 1, ubi **'ne . . quidem'** idem atque **'immo ne . . quidem'** significans pro **'nec . . quidem'** ponendum esse puto.

Itaque omnibus locis, quibus Haasius **'nec . . quidem'** scripturam recepit, expeditis et emendatis, quoniam quidem, quam non probabile sit, Senecam in iisdem locutionibus tum **'ne'** tum **'nec'** posuisse, explicavimus, cur omnibus locis **'ne quidem'** legi velimus, non sane mirabile hoc quidem est, sed potius illud, quod omnes, quos nos quidem putamus depravatos esse locos, inveniuntur cum in dialogis tum in libris de beneficiis et naturalium quaestionum, ne unus quidem in epistulis, quae res, quomodo facta sit, utrum epistularum codices diligentius descriptae sint, quam alii libri, an res sit fortuita, non facile declaratur.

Quodsi porro Rauschningius[5]) per **'neque vero (igitur, enim)'** additamentum ad negationis fines proferendos addere, Senecae non esse familiare dicit, aliasque, quas Seneca pro illis substituere solet, formulas affert, ut: **'non vero, non autem'** etc., certe id quidem accurate non observavit: nam multo saepius, quam quas ille confert, locutiones apud Senecam illi rei hae fere formulae inserviunt: **'Ne . . quidem, Sed—, vero —, Atqui—, Praeterea—, Age—, Quid quod—, Ita—, Itaque—, Ergo—, Sic —, Ideoque ne . . quidem'.**

Iam vero illud quidem, quod mihi ego extremum in Seneca explicando proposueram, utrum aequaliter in omnibus scriptis **'ne . . quidem'** posuerit necne, quoniam in omnibus scriptis eadem fere numerorum ratione in IV. quaque pagina legitur, non longam desiderat orationem.

Atque ut de numerorum ratione, ita de universa exemplorum varietate in omnibus scriptis res se habet, cum ubique IV. quodque exemplum aliam variationem praebeat. Ceterum in dialogis, in quibus plurimae locutiones leguntur, summa videtur usus varietas: nam praeter reliquas formas, quae cum epistulis et naturalium quaestionum libris communes sunt dialogis, XXVII in dialogis tantum inveniuntur, cum epistularum propriae sint XIII, quaestionum naturalium XV, ut ea usus similitudo quin eadem et materia philosophica et scribendi ratione efficiatur, equidem non dubitem; Quare id, quod in Cicerone

[1]) Ben. IV, 40, 4. VI, 16, 3. 30, 1. N. Q. III, 25, 2. [2]) D. II, 15, 2 (bis). E. m. XII, 3, 12 etc. [3]) D. VI, 24, 3. N. Q. I, 5, 9. frg. 88. [4]) D. II, 5, 4. IV, 33, 2 etc. [5]) l. l. p. 51.

explicando supra dictum est, **'ne..quidem'** esse sermonis philosophici propriam, satis superque comprobatur.

Sed tragoedias, quas non ita paucas Seneca composuit, **'ne . . quidem'** particulas ne semel quidem praebere, quoniam supra[1]) dictum est, hic praetermittam.

Nec vero minoris ad particularum **'ne . . quidem'** amplificationem illustrandam argumento est **Curtius.** **Q. Curtius Rufus**[2]) rhetor, cuius in libris illae quater et sexagiens mihi quidem occurrerunt, quae exempla XXX praebent usus variationes, ut, etiamsi varietatem illam Senecae non invenimus, tamen Curtium particulas in variis enuntiationibus collocasse apparet. Et quoniam Curtius Livii potissimum scribendi genus imitatus est, si apud eum, paucis, quae aut Ciceronis aut Curtii aetatis sunt propriae, exceptis, locutiones Livio peculiares invenimus, non sane mirabile hoc quidem est. Universus autem **'ne . . quidem'** particularum usus omnino cum Cicerone consentit, quamquam magnus earum, quae frequentissimae sunt apud Ciceronem, locutionum numerus iam non invenitur. Ita coordinationis copulativae formae nisi **'Ne . . quidem**[3]**), Ac (ac) ne . . quidem**[4]**), ne . . quidem et**[5]) **(sed**[6]**), tamen**[7]**); non . . ne . . quidem**[8]**), ne . . quidem . . nedum**[9]**), — . . adeo non**[10]**), non modo adi. neg. . . sed ne . . quidem'**[11]), adversativae nisi **'sed**[12]) **—, tamen ne . . quidem'**[13]), disiunctivae nisi **'ne . . quidem' —ve**[14])', causalis nisi **'ergo ne . . quidem'**[15]) non inveniuntur. Ac ne magis quidem varius usus in subordinatione reperitur, cum Curtius in protasi **'ne . . quidem'** et **pronomini relativo**[16]) (**'utpote qui ne . . quidem'**)[17]) et coniunctionibus **'ut**[18]), **quod**[19]), **quippe,**[20]) **quamquam'**[21]) addiderit, in apodosi **ablativo absoluto**[22]) aut coniunctionibus **'quippe cum**[23]), **si**[24]), **etsi**[25]), **quamquam'**[26]) praemissis posuerit; adverbia autem cum **'tum'**[27]) tum **'sic'**[28]) interposita legimus.

Atque in enuntiationibus serendis transitus causa Curtius **'ne . . quidem'** et in initio sententiae et in media oratione per ἀσύνδετον collocat[29]) et particulis transitum efficientibus **'Ac, Sed, Ergo'** apposuit.

Columella. Nec vero minore particularum usus varietate, etiamsi rarius **'ne . . quidem'** ponit, **Columella** in XIV de re rustica libris[30]) differt. Qui particulis, ni fallor, undequadragiens positis plerumque Ciceronis rationem, raro latinitatem argenteam secutus XXXV locutiones praebet, ut etiam magis varius sit eius usus, quam Curtii. Itaque in coordinatione copulativa praeter **'Ac**[31]) (**ac**[32]) **ne . . quidem, ne . . quidem . . nec**[32]), **— . . sed**[33]), **— . . verum**[34]),**ne . . quidem intendens**[35]), **ne . . quidem . . nedum**[36]), **non solum . . sed ne . . quidem'**[37]) (v.) locutiones Senecae similes et easdem atque ille habet, ut: **'non . . nec . . sed ne . . quidem**[32]), **non . . immo ne . . quidem'**[38]); in coordinatione autem adversativa: **'Sed**[39]), **(sed)—**[40]), **autem**[41]) **ne . . quidem'**, in disiunctiva: **'ne . . quidem aut . . aut'**[42]), in causali: **'nam**[43]) —, **itaque**[44])—, **quare**[45])—, **propter quod (quae) ne . . quidem'**[46]) invenimus. Atque subordinationis genera, etsi non ita multae variaeque sunt eorum formae, tamen uniuscuiusque fere in protasi generis exemplum praebet, ut **'qui**[33])—, **ut**[47])—, **cum praesertim**[48]) —, **si**[49]) —, **quamquam**[50]) —, **sicuti ne . . quidem'**[51]) et vulgaribus apodosis formis **'cum . . tum ne . . quidem**[52]), **ne si quidem**[53]), **si non**[54])—, **nisi**—, **'ne . . quidem'**[55]) novam addidit **'sive . . sive —, ne . . quidem'**[56]). Praeterea adverbia **'nunc'**[57]) et **'sic'**[58]) Columella **'ne . . quidem'** saepe interposuit.

Quoniam igitur illae anomaliae non ita graves sunt, quod Columella **'ne . . quidem'** in initio enuntiationis, quamquam **'ne . . quidem'** in transitus formulis semel atque iterum habet, ne semel quidem posuisse, mirum est. Atque a vulgari particularum collocatione Columella aberrat I, 3, 12, nisi melius **'ne circumire quidem equis'** scribimus, praesertim cum **'quoque'**, quod codices habent, ibi ponatur.

'Nec . . quidem' legimus: I, 5, 6: **nec** paludum **quidem** vicinam esse oportet aedificio, **nec** iunctam militarem viam'. Etiamsi hic codices varias lectiones non habent neque per **'ne . . quidem'** Columellam enuntiationem incipere vidimus, tamen, quoniam cum universum Ciceronis usum imitatur, tum II, 21, 4 **'ne . . quidem'** per **'nec'** continuat, etiam hic **'ne'** pro **'nec'** pono. III, 10, 10: **nihil —, nihil —; nec** generandi **quidem** data est facultas manibus, **sed** etc. Quo loco, quamquam codices verba

1) p. 7. 2) rec. Zumptius. 3) V, 6, 18 etc. 4) V, 7, 9 etc. Vl, 7, 21 etc. 5) Vlll, 5, 11 etc. 6) Vlll, 1, 44. Vl, 3, 12 etc. 7) Vll, 7, 34. 8) lX, 9, 6. 9) Vll, 4, 4. 10) Vll, 5, 35. 11) Vlll, 1, 35. 12) Vl, 5, 20. 13) lX, 6, 10. 14) Vll, 3, 11. 15) lX, 10, 15. 16) Vll, 5, 35. 17) lV, 1, 13. 18) Vll, 3, 11 etc. 19) lX, 2, 31. 20) Vlll, 10, 18. 21) lX, 6, 19. 22) X, 1, 45. 23) X, 1, 3. 24) Vl, 10, 29. 25) lX, 6, 10. 26) lX, 3, 2. 27) V, 10, 15 etc. 28) Vl, 5, 20. Vlll, 14, 42 etc. 29) Vll, 7, 34. 30) rec. Schneider. 31) praef. 31 etc. 32) ll, 21, 4. 33) l, 3, 12 etc. 34) Xll, 53, 1. 35) l, 7, 7. 36) lll, 10, 16. 37) Arb. 18, 1. 38) Vll, 12, 7. 39) praef. 9 etc. 40) ll, 1, 4 etc. 41) Xll, 52, 12. 42) lll, 3, 5. 43) Vlll, 17, 8. 44) Vlll, 6, 2. 45) lX, 2, 2. 46) ll, 17, 6. Vlll, 10, 6. 47) Xll, praef. 9. 48) V, 1, 3. 49) lV, 15, 1. 50) lX, 8, 5. 51) l, 4, 2. 52) ll, 2, 7. 53) Vlll, 16, 10. 54) lll, 10, 14. 55) ll, 21, 4. 56) Vll, 12, 4. 57) Xll, 2, 2. 58) lX, 8, 5 etc.

ita praebent, tamen **'ne . . quidem'** illi lectioni praefero, quod negationum seriem terminans cum gradatione quadam hic ponitur, ut II, 1, 4, et **'ne . . quidem . . sed'** III aliis legitur locis.

IV, 24, 15 Schneider edidit: 'deinde ne sagittae, **sed nec** ungulae **quidem'**. I B R codices **'quidem'** omittunt, Br. **'ne ungulae'**, Lips. et Sang. **'quidem'** omisso **'sed ne ungulis'** habent. Sed in tanta lectionum varietate, quae vera sit scriptura, cum statuere velimus, utrum **'sed ne . . quidem'** formulam Columella collocaverit necne, quaerendum est. Quodsi igitur apud Columellam **'sed ne . . quidem'** formulam in variis compositionibus sexiens positam videmus, quin etiam hoc loco frequentissima illa formula scribatur, non sane id quidem dubium esse mihi videtur.

Asconius Pedianus.

In exiguis, quae ad nos pervenerunt, **Q. Asconii Pediani** reliquiis[1]) **'ne . . quidem'** quinquiens ita reperitur, ut praeter paucas vulgares et coordinationis copulativae **'ac**[2]) —, **postremo**[3]) **ne . . quidem, ne . . quidem . . sed'**[4]) et subordinationis formulas **'ut ne . . quidem'**[5]) in conclusione **'et ideo ne . . quidem'**[4]) apud eum novicium legamus.

Mela.

Pomponius Mela[6]) **'ne . . quidem'** duodeciens collocans VIII locutiones, quae ad unam omnes iam a Cicerone et Livio usurpatae sunt, praebet: **'Ne . . quidem**[7]), **et ne . . quidem**[8]), **ne . . quidem . . sed**[9]), **nam ne . . quidem**[9]), **ne . . quidem in conclusione**[10]), **ut ne . . quidem**[11]), **quodsi —, ne . . quidem'**[10]).

Valerius Probus.

Nec vero in iis, quae **Valerio Probo** a multis attribuuntur, reliquiis particulas **ne semel quidem** inveniri, sane mirabile id quidem est, quoniam universa illa loquendi ratio quartum minimum sapit saeculum. Etenim eorum scriptorum auctor non modo non collocavit, sed ne nosse quidem videtur particulas, quod nonnullis locis, ubi de particula **'quidem'** eiusque variationibus et de **'nec'** aliisque negationibus plura disserit, ne verbo quidem de iis disputat: Ac ne cum **Plotio** quidem **Sacerdote**, qui **'ne . . quidem'** interdum usus de ipsis particulis praecipit, illa scripta consentiunt.

Proculus.

Et in iis, quae **Proculi**, iuris consulti, nomine citantur[12]) **'sicuti ne . . quidem'** et **'itaque nec . . quidem'** legimus, quarum locutionum alteram ex **'itaque ne . . quidem'** a librariis depravatam esse, verisimile est.

Lucanus.

Ex poetis autem, qui et Claudii et Neronis aetate composuerunt, **'ne . . quidem'** unus **M. Annaeus Lucanus** habet: Ph. X, 493: **'An** mundum **ne** nostra **quidem** matrona teneret'.

Petronius.

At in prosae quidem reliquiis, quae **Petronio Arbitro** attribuuntur[13]), **'ne . . quidem'**, si non tam saepe, quam apud alios eiusdem aetatis scriptores, at certe non raro ac varie, in sermone poetico prosae orationi intermixto ne semel quidem invenitur. Qui particulis viciens septiens usus et XX locutiones praebens, quoniam quomodo etiam ad sermonem cottidianum particulae se applicaverint in eoque usurpentur, demonstrat, non parvi esse momenti mihi quidem videtur. Atque universus particularum usus Ciceronis sermonem sequitur: nam **'ne . . quidem . . verum'** excepto, ne una quidem forma latinitatis argenteae, ut ita dicam, nos monet. Etenim **'ne . . quidem'** in enuntiationibus coordinatis ita collocatur: **Ne . . quidem**[14]), **Et**[15]) (**et**[16]) —, **Ac**[17]), (**ac**[18]) **ne . . quidem, ne . . quidem . . sed**[15]) (**verum**[19]), **immo**[20]), **at ne . . quidem**[21]), **ne . . quidem aut**[22]), **nam ne . . quidem**[23])' in subordinatis: **'ut**[24]) —, **qui ne . . quidem**[25]), **si**[26]) (**nisi**[21]), **nisi quod**[16]) —, **ne . . quidem; ne tum**[25]) — **tunc**[27]) — **sic**[28]) **quidem.** Sed praeter ceteras locutiones ad enuntiationes et comprehensiones copulandas Petronius **'ne . . quidem'** aut nudum aut cum aliis particulis coniunctum et in initio orationis et media in enuntiatione collocat: nam ex XXVII exemplis XV hunc usum praebent.

Et quoniam Petronium per **'ne . . quidem'** haud raro enuntiationes copulasse, modo dictum est, certe nimium non postulamus, cum 11 **'ne'** pro **'nec'** scribi volumus.

Plinius maior.

C. autem **Plinius Secundus**[29]), ut loquendi rationem variam in variis libris habet, ita **'ne . . quidem'** varie ponit, ac ne id quidem forte factum videtur, sed ex universa sermonis ratione necti, quoniam, cum animus eius in res potius, quam in sermone intentus et infixus sit, in cura verborum non ita nimius est, verbumque quodlibet, quod primum sibi sese offert, ponit. Quodsi enim omnes scriptores in scriptis non perfectam atque absolutam, at ambiguam quandam usus aequabilitatem praebent, Plinius in aliis libris (II. XVI. XVII.) particulas creberrime, in aliis (VII. — XI. XIII. XV. XVIII. XXVIII. XXXIII. — XXXVI.) rarius, in aliis (IV. V.) ne semel quidem, singulis locis in VI. XXI. XXII,

[1]) rec. Kieslingius et Schoellius. [2]) p. 38, 26. [3]) p. 51, 8. [4]) p. 45, 1. [5]) p. 53, 8. [6]) rec. Partheius. [7]) ll, 12. [8]) lll, 34. [9]) lll, 27. [10]) l, 54. [11]) ll, 1. [12]) Hommel. l. l. ll, p. 389 sqq. [13]) rec. Buecheler. [14]) 98. [15]) 2. [16]) 126. [17]) 2 etc. [18]) 26. [19]) 80. [20]) 74. [21]) 92. [22]) 88. [23]) 132. [24]) 114. [25]) 9; 80. [26]) 108. [27]) 17. [28]) 73. [29]) rec. L. Janus.

XXIV. XXVII. XXXI. XXXVII. posuit; cui rei addendum est, plurimas anomalias in iis libris, in quibus non ita frequens est particularum usus, inveniri. Ceterum '**ne . . quidem**' centiens octiens positum omnium et coordinationis et subordinationis generum non modo passim exemplum quoddam praebet, sed orationem variat et illustrat. Itaque '**ne . . quidem**' legitur in formis coordinationis et copulativae: '**Ne . . quidem**[1]), **Ac**[2]) (**ac**[3])—, **et**[4]) **ne . . quidem, ne . . quidem et**[5]) (**—que**[6]) . . **nec**[7]) . . **sed**[8]), **praeterea**[9]) **ne . . quidem, non . . ne . . quidem**[10]), **ne . . quidem . . adeo**[11]) (**non**[12]); **non modo . . sed ne . . quidem**[13]), **ne . . quidem . . sed etiam**[14]) (**— que etiam**[15]), **ne . . quidem . . non modo**[16]), **non . . immo ne . . quidem**'[17]), et adversativae: '**Sed**–,[18]) (**sed** –,[19]) **vero**[20]) **ne . . quidem**, et disiunctivae '**ne . . quidem aut**[21]) (**aut . . aut**[22]), **aut . . aut ne . . quidem**[23]), **ne . . quidem — ve**'[24]) et causalis: '**nam**[21])—, **adeo**[25]) **ne . . quidem**'. In sententiis autem subordinatis in protasi pronomini relativo[26]) et coniunctionibus '**ut**[27]), **quando**[28]), **sicut**'[29]) apponitur, in apodosi, particulis '**antequam**[30]), **cum**[31]), **quia**[32]), **quoniam**[33]), **si**[34]), **si quidem**[35]), **nisi**[36]), **praeterquam**[6]), **quamvis**'[18]) praemissis, invenitur. Nec vero praetermittendae sunt '**ne tum**[33]) (**tunc**[37]) **sic**[38]) **quidem**' et '**adhuc**[39]) —, **iam**[40]) **ne . . quidem**' formulae.

Quae cum ita sint, Plinius, quamqam plerumque Ciceronis praecepta secutus est, tamen, ut totus eius orationis habitus a consuetudine et elegantia optimorum scriptorum haud raro abhorret, ita '**ne . . quidem**' usus etiam magis quam Senecae latinitatis argenteae est. Ac Senecam secutus, ceteris anomaliis relictis, Plinius particulis '**ne . . quidem**' interdum notionem illam ab usu Ciceroniano abhorrentem '**und zwar nicht**' in formula '**et ne . . quidem**' subicit. Noviciae autem apud Plinium sunt formulae: '**ne . . quidem . . — que etiam, ne . . quidem . . praeterquam**', **antequam** —, **ne . . quidem**'. Sed restat, ut paucas, quas Plinius mirifice adamavit, locutiones conferam, quae hae fere sunt: '**Ne . . quidem** (VI), **Ac** (**ac**) **ne . . quidem** (II. XVII), **et ne . . quidem** (IV), **non . . ne . . quidem** (IX), **ut** — (XII), **qui ne . . quidem** (V), **ne . . quidem . . nisi** (IX)'.

Silius Italicus. Sed nec iuris consulti nec poetae eius aetatis '**ne . . quidem**' utuntur praeter **C. Silium Italicum**[41]) Pun. XII, 23: '**Ac ne** nocte **quidem** clypeive ensesve reposti, **Non** pharetrae aut iacula, et pro membris arma fuere'; qui locus et '**ne . . quidem . . non**' et '**ne . . quidem — ve . . — ve**' formulas novas praebet.

Quintilianus. Sed omnium, qui tum soluta oratione scripserunt, maxime **M. Fabius Quintilianus**[42]) hic nominandus est, qui quidem, etiamsi omnes locutiones latinitatis argenteae proprias non evitavit, tamen multo maiore ex parte Ciceronis more '**ne . . quidem**' et saepe et varie et aequabiliter collocavit. Atque ut locutiones illius aetatis sermonis proprias praecipiamus, Quintilianus eorum, qui tum scripserunt, more et formulas gradationis '**ne . . quidem . . sed etiam**[43]), **neque . . sed ne . . quidem**[44])' et novas, ut **non minus . . sed ne . . quidem**[45])' posuit, praeterquam quod etiam plenas illas, quibus Cicero utitur, formulas habet, sed ita, ut, quoniam '**non modo . . verum ne . . quidem**' semel[46]) scripsit, quater '**non solum** (**non**) **. . sed ne . . quidem**[47])', haec illi, quam Cicero plerumque usurpat '**non modo** (**non**) **. . sed ne . . quidem**[48])', praeferat et, uno loco excepto, alteram negationem neglegat, et verbum utrique disiunctionis membro commune, altera negatione et posita et omissa, priori saepius parti, quam alteri apponat. Quae quidem Quintiliani proprietas in exemplo illo ex Cicerone (p. Lig. 4), quo loco, nisi librarii mendum ibi esse putamus, '**nullum**' omisit, dilucide videtur. Ac ne illud quidem praetermittendum mihi videtur esse, Quintilianum '**ne . . quidem aut**' formulae et '**saltem**'[49]) et '**forte**'[50]) addere, pro '**quin ne . . quidem**' Ciceronis ponere '**quin immo ne . . quidem**'[51]) et novasse '**ne . . quidem . . ne dicam**'[52]), **adde quod**[53]) —, '**quapropter ne . . quidem**'[54]).

Quibus et anomaliis et proprietatibus expositis nunc, ut, quomodo universus sit Quintiliani particularum usus videamus, reliqua usus genera paucis explicemus. Is enim '**ne . . quidem**' in omnibus coordinationis generibus usus copulativae praeter '**ne . . quidem**' et in initio[55]) et in media oratione[56])

---

1) XI, 156. 2) XVII, 4 etc. 3) II, 137. 4) II, 43. 5) XXV, 9. 6) XXIV, 1; II, 27. 7) XI, 9. 8) VII, 43. 9) XXXII, 27. 10) XI, 9 etc. 11) XVI, 64. 12) X, 206. 13) II, 121. 14) IX, 117. 15) XXXVI, 113. 16) XI, 18. 17) XXII, 118 etc. 18) VI, 89. 19) XXI, 2. 20) XVI, 9. 21) II, 150. 22) XXII, 85. 23) XXXIII, 137. 24) XVI, 64. 25) VIII, 226. 26) X, 210. 27) VIII, 127. 28) XXXI, 61. 29) II, 190. 30) XVIII, 8. 31) XXXII, 27. 32) XVII, 222. 33) XVII, 249. 34) XVII, 4. 35) XXXIII, 11. 36) VI, 87. 37) XXXIII, 21. 38) III, 53. 39) XXXVII, 30. 40) X, 54. 41) ed. Bipont. 42) rec. E. Bonnellius. 43) XII, 1, 37. 44) II, 17, 34. 45) II, 14, 2. 46) XII, 4, 1. 47) III, 8, 32; XI, 1, 56; IX, 4, 49. 48) IV, 2, 110. 49) VI, 5, 1. 50) IX, 4, 49. 51) I, 1, 31. 52) V, 12, 20. 53) XII, 1, 4. 54) IV, 5, 3 etc. 55) IX, 4, 102 etc. 56) VI, 3, 47.

positum '**Ac**[1]) (**ac**[2]) **ne . . quidem, ne . . quidem . . nec**[3]) (**sed**[2]), **vero**[4]), **verum**[5]), **tamen**[6]); **omnino**[7]) —, **praeterea**[8]) **ne . . quidem**', adversativae: '**Sed**[9]), **sed**[10]), **vero**[11]) —, **autem**[12])—, **tamen**[13]) **ne . . quidem**', disiunctivae: '**ne . . quidem . . aut . . — que**'[14]), causalis '**nam**[15]) —, **itaque**[16]) —, **quare**[17]) **ne . . quidem**' habet. Atque in subordinatione particulae cum in protasi pronomini relativo[18]) et coniunctionibus '**ut**[19]), **si**[11]), **sicut**[20]), **an**[21])' apponuntur, tum in apodosi' **ubi**[22]) ('**wo; sobald als**'), **si**[23]), **nisi**[22]), (**praeter**[11]), **quia**[24]), **quamquam**[13]), **quod**[12])' particulis praemissis et in formula '**ne si quidem**'[9]) reperitur. Itemque Ciceronis more et adverbiis '**certe**[18]), **forsitan**[25]) **iam**'[26]) apponitur et '**nunc**'[27]) includit.

Atque ut omnes scriptores, ita Quintilianus, quae sibi in deliciis sunt, formas habet, ut: '**Ne . . quidem**' et in initio (XXIV) et in media oratione (IV), **sed ne . . quidem** (XIX), **ne . . quidem . . nisi** (VII).

Itemque Ciceronis more **Sex. Iulius Frontinus** '**ne . . quidem**' in IV strategematon libris[28]) **Frontinus.** octiens, in II de aquis urbis Romae[28]) quinquiens posuit. Et quoniam ceteroquin Frontinum verbis aptum illum quidem et pressum esse, sed tamen polito sermoni studuisse, recte dicitur, '**ne . . quidem . . adeoque**'[29]) formula excepta, particularum usum Ciceronianum eum imitari, non est, quod miremur. Ac ne in IV. quidem strategematon libro '**ne . . quidem**' aliter invenitur, ut, eum librum a Frontino non esse, ea re difficile sit comprobatu.

In Frontini autem libri grammatici reliquiis '**ne . . quidem**' semel et horride quidem et corrupte saeculi posterioris more, nullo vocabulo interposito, collocatur. Sed cum usus genus Frontini proprium sit, etiam ibi vulgare collocandi praeceptum secutum vocabulum eum interposuisse, et mendosam lectionem a librario quodam aut interpolatore effectam esse, verisimile est.

Coordinationis igitur generum apud Frontinum formae '**Ne**[30]) (**ne**[31]) **. . quidem . . sed**[32]), **vero**[33]) **ne . . quidem**' inveniuntur, in subordinatione '**cum**[34]), **quod**)[35]), **quia**[36]), **quamvis**'[37]) coniunctionibus particulae adduntur et per '**nisi**'[35]) restringuntur; adverbia autem '**ibi**'[31]) et '**tunc**'[36]) particulis interponuntur.

Sed magni ad cognoscendum particularum '**ne . . quidem**' ea aetate usum **Cornelius Tacitus** mo- **Tacitus.** menti est, quoniam in variis suis scriptis, quae et genere et tempore diversa sunt, variat particularum usum atque ornat et distinguit. Quodsi singulorum eius scriptorum usum secundum temporum ordinem consideramus, exemplorum numerorum ratio haec fere est: in Dial. XVI, in Agr. VI, in Germ. XI, in Hist. XLIV, in Ann. LXI exempla inveniuntur, ut omnium exemplorum summa sit CLXVIII. Quae cum ita sint, si inter se singula scripta comparaverimus, maximam exemplorum partem in dialogo inveniemus; tum Germ. et Hist. libri novenis exemplis succedunt, annalium autem singuli libri circiter quina exempla praebent.

Sed non modo exemplorum numero, sed usus etiam ratione singuli inter se differunt libri: nam in **dialogo**[38]), in quo, quoniam Ciceronis sermonem Tacitus imitatur, ne unam quidem serioris aetatis locutionem praebet, sed interdum etiam ipsa Ciceronis verba sumpsisse videtur, ut D. 40: '**Ne** Macedonum **quidem ac** Persarum **aut** ullius gentis' Ciceronis illud ad Q. fr. I, 1, 19: '**Ne** Graeci **quidem ac** Mysi **aut** Phrygis' nos monet. Praeterea in uno dialogo '**ne . . quidem aut . . aut**'[39]) (Hist. '**ne . . quidem aut . . vel**[40]), **neque**[41]) **. .**, **porro**[42])—, **hercle**[41]) —, **cum praesertim ne . . quidem**'[43]) quae formulae praeterea nisi apud Ciceronem apud neminem inveniuntur; reliqua autem dialogi exempla plane cum Cicerone consentiunt.

Sed **Agricola**[38]), in quo libro Tacitum Sallustii scribendi rationem imitatum esse constat, et numero et varietate multo maior usus simplicitas, quam in dialogo constitui potest, quamquam, quoniam minora sunt exempla, Tacitum '**ne . . quidem**' item ut Sallustium posuisse, evidenter explicari non potest.

Ac ne in **Germania**[38]) quidem novam pristinis addidit variationem, ut, eum '**ne . . quidem**' transitum efficiens maxime adamare, hic tantum commemoretur; reliquus autem usus ad Ciceronis aetatem recidit.

In **historiis**[44]) Tacitus XLIV, ni fallor, exemplis XXII usus genera praebet, quae omnia, '**ne . . quidem . . adeo**'[45]) formula excepta, ad Ciceronis usum se applicant, quorumque X historiis peculiaria sunt.

At in **annalium**[46]) libris '**ne . . quidem**' semel et sexagiens et XXX quidem in locutionibus positum

---

1) IX, 4, 142. 2) XII, 7, 12. 3) II, 4, 9 etc. 4) I, 12, 2. 5) proem. 21. 6) II, 17, 38. 39. 7) VII, 3, 14. 8) VIII, 3, 13. 9) IX, 2, 72 etc. 10) II, 4, 42. 11) V, 10, 98. 12) X, 7, 32. 13) X, 2, 21. 14) IX, 4, 43. 15) IV, 2, 83. 16) X, 2, 24. 17) I, 1, 29. 18) X, 1, 41. 19) VI, 5, 1. 20) II, 14, 1. 21) VII, 6, 7. 22) V, 9, 3; VII, 1, 60. 23) I, 3, 14. 24) IX, 4, 102. 25) VII, 4, 6. 26) I, 5, 72. 27) IX, 4, 141. 28) ed. Dederichus. 29) st. III, 17, 9. 30) st. IV, 1, 9 etc. 31) st. IV, 1, 38. 32) aq. d. 128. 33) st. II, 11, 3. 34) st. II, 10, 2. 35) aq. d. 97. 36) st. III, 17, 9. 37) aq. d. 72. 38) rec. C. Halmius. 39) D. 40. 40) H. II, 76. 41) D. 26. 42) D. 23. 43) D. 10. 44) rec. Heraeus. 45) H. I, 9 etc. 46) rec. Nipperdeius.

videmus, quarum XV annalium propriae sunt, plurimae, paucis exceptis, Ciceronis usum sequuntur. Sed latinitatis argenteae seriorisque aetatis sunt formulae ‘**ne.. quidem..–que etiam**[1]),–..**adeo non** (**numquam**[2]),–..**ni’**[3]).

Sed praeter ceteras formulas Tacitus in annalibus cum ‘**Ac** (**ac**) **ne .. quidem**’ (I.[4]) IV[5]), ‘**ne tum quidem**[6]), **ne .. quidem .. nisi**’ (VI[5]) — quae formula in annalibus tantum invenitur — tum ‘**ne .. quidem**’ et in initio comprehensionis (XVI[7]) et in media oratione (II[8]) enuntiationes copulans. Ac ne illud quidem, quod maxime latinitatis argenteae proprium est, Tacitum numquam plenam et integram gradationis ‘**non modo ..sed ne .. quidem**’ formulam habere, sed, ubicumque ea formula opus est, aut Ciceronis ‘**ne .. quidem .. etiam**’[9]) aut ‘**ne .. quidem .. — que etiam**’ vel ‘**non .. immo ne .. quidem**’[10]) Plinii aut ‘**ne .. quidem .. non**’[11]) posuisse, hoc loco praetermittam.

Quodsi igitur singula quaevis recensebimus et persequemur, quomodo Tacitus tum, cum dialogum scripsit, plane et diligenter Ciceronem imitatus sit, postea, cum Agricolam et Germaniam composuit, ab eo aberrare coeperit, in annalibus autem magis suae aetatis usum praebuerit ille quidem, sed tamen universum particularum usum ad Ciceronis praecepta revocaverit, facile cognoscemus.

Reliquus autem Taciti usus, formulis, quas supra attulimus, omissis, has praebet formas et coordinationis copulativae ‘**Et**[12]) (**et**[13]) **ne .. quidem, ne.. quidem..–que**[14]), –.. **ac**[15]),–.. **et**[16]), –.. **sed**[17]), –..**at**[18]); **non .. ne .. quidem**[19]), **ne .. quidem .. nedum**[20]), **quod**[21]) –, **postremo ne .. quidem**’[22]), disiunctivae: ‘**ne ..quidem aut**’[19]), causalis: ‘**nam ne..quidem**’[23]) et subordinationis ‘**qui**[24])–, **ut**[25])–, **cum**[26])–, **quod**[19])–, **quamquam**[27]) **ne .. quidem**’ et ‘**cum**[28])–, **quia**[4])–, **quamquam**[29])–, **si**[30])–, **ne .. quidem**’.

Plinius minor. Sed praeter eos, quos modo explicavimus, eius aetatis scriptores maxime **C. Plinius minor**[31]) ad particularum usum diiudicandum pertinet. Qui ‘**ne .. quidem**’ in panegyrico septiens, viciens sexiens in epistulis usus in utroque scripto et numero et usu eandem fere rationem praebet et, si non ad Ciceronis, at certe ad Quintiliani imitationem se contulit. Namque omnes fere locutiones et coordinationis ‘**ne .. quidem** (**auch nicht**[32]), **Ac**[33]) (**ac**[34]) **ne .. quidem, ne .. quidem – que**[35]), **non .. ne .. quidem**[34]), **non modo .. sed ne .. quidem**[36]); **iam**[37]) –, **at**[38]) –, **tamen**[39]) **ne .. quidem, ne .. quidem aut .. aut**’[40]) et subordinationis ‘**quotusquisque**[41]) –, **quamquam**[42]) **ne .. quidem cum**[43])–, **quamquam**[39])–, **ut**–, **ita**[44]) **ne .. quidem, ne .. quidem .. nisi**’[34]) et ‘**ne nunc**[42]) (**tunc**[39]) **quidem**’ Ciceronis sunt.

Traianus. Nec vero saepe particulae in Plinii ad Traianum epistulis, numquam in **Traiani** ad Plinium inveniuntur.

Neratius Priscus. Iavolenus. Et iuris consultorum eius aetatis **Neratius Priscus**[45]) et **Iavolenus Priscus**[46]) ‘**ne .. quidem**’ usi sunt, quorum alter ‘**ne .. quidem**’ media in oratione (‘**auch nicht**’) et ‘**ac ne .. quidem**’, alter V has formulas posuit: ‘**ac** –, **ut** –, **sicut ne .. quidem, qui** –, **ut .. ita ne .. quidem**’.

Quoniamque de mala apud Iavolenum particularum collocatione supra[47]) satis dictum est, hic plura non dicentur.

Laelius Felix. Ac ne haec quidem hoc loco neglegenda sunt verba **Laelii Felicis**[48]): ‘Ita ne ‘**leges**’ quidem proprie, sed ‘**plebiscita**’ appellantur’; quae an Laelio Felici, eius aetatis iuris consulto, recte attribuantur, nescio, quaeque ‘**ne .. quidem**’ iam non grave illud negationis momentum subici, sed ‘**ne .. quidem**’ idem fere ac ‘**non**’ significare demonstrant.

Gromatici. Nec vero in **gromaticorum** reliquiis[49]) nisi in libro de limitibus constituendis, Hygino cuidam minori a Lachmanno attributo, ‘**ne .. quidem**’ semel[50]) legimus.

Flavius Caper. Atque ex eius aetatis grammaticis unus **Flavius Caper** ‘**ne.. quidem**’ collocationis praeceptum, quod supra allatum est, dat; ipsas autem particulas in verborum contextu ne semel quidem posuit.

Quibus rebus expositis omnia complurium saeculorum scripta perscrutati, ‘**ne .. quidem**’ particularum usum et a Cicerone novatum atque amplificatum esse et, paucis proprietatibus omissis, ad eum semper recidere, explicasse nobis videmur. Sed ut brevi in conspectu, quomodo ‘**ne .. quidem**’ temporum decursu legatur, sit positum, III. tabulam addere nobis liceat.

1) An. XIV, 37. 2) An. III, 34; VI, 15. 3) An. II, 10. 4) An. XIV, 21 etc. 5) An. I, 50 etc. 6) An. I, 64 etc. 7) An. I, 7. etc. 8) An. IV, 68. 9) H. I, 78. 10) D. 26. 11) An. XI, 38. 12) D. 9. etc., 13) An. IV, 30. 14) An. I, 14. 15) H. III, 82. 16) D. 31. 13. 17) An. II, 14. 18) VI, 40. 19) An. III, 14. 50. XIV, 35. 20) An. III, 73 etc. 21) An. III, 10. 22) H. II, 93. 23) G. 31 etc. 24) An. IV, 35. 25) An. III, 59 etc. 26) An. I, 66. 27) An. XII, 65. 28) An. IV, 55. 29) H. I, 76. 30) H. IV, 75. 31) rec. H. Keilius. 32) Ep. VII, 27, 15. 33) pan. 3 etc. 34) ep. II, 17, 22 etc. 35) pan. 11. 39. 36) ep. IV, 14, 4 etc. 37) ep. I, 12, 10. 38) ep. I, 5, 7. 39) ep. VI, 20, 20. 40) ep, VII, 26, 2. 41) pan. 43. 42) ep. I, 10, 3. 43) ep. I, 14, 9. 44) ep. I, 23, 1. 45) Homm. pal. I. p. 501 sqq. 46) ibd. I. p. 200. 47) p. 6. 48) Gell. I. I. XV, 27, 4. 49) ed. Lachmannus etc. 50) p. 184, 4.

Tabula I.:

Particularum 'ne..quidem' a **Plauto** usque ad **Ciceronem** usus descriptio.

A. Coordinatio[1]).

I. Coordinatio copulativa.

a) 'ne . . quidem' in enuntiationibus serendis.

1. **Ne . . quidem in initio positum: Plautus**:Capt. 264: N. id q. involucri inicere voluit. **Terentius**: Eun. 46.
2. „ „ „ **media or.** „ : **Cornif.** III, 5, 8: virtutibus uti neminem posse; n. deos q. esse auxilio iis etc.

b) 'ne . . quidem' in particularum corresponsionibus:

1. **ne . . quidem . . nec** (**neque**): **Plautus**: Asin. 762: N. epistula q. ulla sit in aedibus nec cerata adeo tabula.
2. „ „ . . **sed: Cornif.** IV, 10, 14: ut ne ad solarium quidem, sed pone scaenam exercitatus sis.

c) 'ne . . quidem' in gradatione:

1. **non . . ne . . quidem: Terentius**; Eun. 46: non eam? ne nunc quidem Cum accersor ultro.
2. **non modo** (v.) . . **sed ne . . quidem** (v.): **Varro** r. r. I, 2, 11: n. m. ovum illud sublatum est, s. n. illud q. ovum vidimus.
3. „ **solum non** (v.) . . **sed ne . . quidem** (v.): **Varro** l. l. IX, 36, 51: n. s. in vocabulis litterarum haec n. inquirenda analogia, s. n. in syllaba q. ulla.

d) 'ne . . quidem' in distributione:

praeterea ne . . quidem; **Cornif.** IV, 7, 10: Praeterea ne possunt quidem ea exempla tam esse accommodata etc.

II. Coordinatio adversativa:

1. **sed ne . . quidem: Cincius Alimentus**[2]): sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla laus celebretur.
2. **At** „ „ : **Cornif.** IV, 24, 33: At ne scriptas quidem iudicasti.

III. Coordinatio disiunctiva:

ne . . quidem aut: Cornif. II, 8, 12: ut ne parvula quidem titubatione aut offensione impediremur.

B. Subordinatio.

a) **'ne . . quidem' in protasi.**

I. in enuntiationibus substantivis.

ut ne . . quidem: Plaut. Asin. 149: At scelesta viden ut ne id quidem me dignum esse existumat. **Terent. Cornif.**

II. in enuntiationibus adiectivis:

1. **qui ne . . quidem Cornif.** IV, 23, 33: aliqua ex honesta re, quam ne inimici quidem criminari possunt.

III. in enuntiationibus adverbialibus:

a) in causalibus:

1. **quia ne . . quidem: Terentius**: Phorm. 916: quia ne alteram quidem illam potero dicere.
2. **propterea quod** „ „ : **Cornif.** III, 8, 15: propterea quod ne incidunt quidem.
